Q. D. B. V.

DE

JURE DEI IN CREATURAS

Indultu Reverendiſſ. Facult. Theologicæ

In Academia Lipsiensi

Sub PRÆSIDIO

VENERANDI PARENTIS SUI

DN. GEORGII LEHMANNI

S. S. Theol. Doctoris ac Profeſſoris P. Paſtoris ad D. Nicolai & Superintendentis &c.

Solenniter

in Auditorio Majori Principum

die XV. Martii 1681.

diſputabit

M. GEORGIUS HENRICUS Lehmann.

oll. diss. A 91, 13

Typis CHRISTOPHORI GUNTHERI.

84.A 191(13)

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372279015/1 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächs. Landes-Bibl.

DISSERTATIO

INAUGURALIS

THEOLOGICA

DE

IMAGINE DEI

HENRICUS

CHRISTOPHORUS

LUDEWIG.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372279015/2
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

PROTO - SYNEDRII ELECTORALIS
SAXONICI
PRÆSIDI EMINENTISSIMO,
PER-ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO
DN. CAROLO
Libero Baroni
â FRIESEN,
Dynaſtæ in Röthau / Kotta & Daſchwitz ꝛc.
Sereniſſimi Electoris Comiti &
Conſiliario intimo,
Dicaſterii ſupremi, qvod Lipſiæ eſt,
Judici &c.&c.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO:

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372279015/3
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Ut &

CONSILIARIIS
& ASSESSORIBUS

reliqvis Spectatisſimis,

VIRIS

Summè Reverendis, Magnificis, Nobi-
lisſimis, Ampliſſimis, Conſultisſimis,

DOMINIS, PATRONIS, AC PROMOTORIBUS MEIS STUDIOSE COLENDIS;

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372279015/4
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Hoc qvalecunqve ſpecimen Academicum

DE

JURE DEI IN CREATURAS,

Ipſorum

Jus in me meaqve ſtudia ſubmiſsè

agnoſcens,

GRATIAM ET PATROCINIUM DEVOTE IMPLORANS,

Sacrum

eſſe

cupio

GEORGIUS HENRICUS Lehmann/
Phil. M.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id372279015/5
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

AD CL. DN. RESPOND.
Amicum Dilectiſſ.

DIgnum eſt, qvod videat ſpectâclum Lipſia, qvando
Jura Creatoris, ſub Genitore, doces.
Qvam benè! Namqve Patri ſic jure placebis Utriqve,
Inqve polo Charus Filius inqve ſolo.

D. VAL. ALBERTI,
Acad. h.t.R.

Præloqvium.

IN ſupremo Numine, qvod rebus creatis omnibus præſidet, duplicem majeſtatem invenimus, qvarum altera ἐξοχὴν & dignitatem, altera vires & potentiam Imperantis ſignificat. Prior illa ad attributa immanentia pertinet, & DEO abſolutè ſecundum naturam ſuam conſiderato propter omnimodam & conſummatam perfectionem competit: Poſterior obliqvè connotat creaturas, tanqvam objectum Dominii, circa qvod ipſius actus occupantur. Utraqve Numen nobis venerabile facit; Illa, ſi autoritatem ſcripturæ attendamus, qvæ cultus divini fundamentum conſtituit glorioſiſſimæ eſſentiæ eminentiam, ceu contra Socinianos Theologi in tr. de divinis attributis deducunt: Hæc, ſi ſeqvamur humanam indolem; tunc enim ad venerationem Superioris majus pondus potentiæ ineſt, qvàm dignitati. Qvoniam ſubditi citius, qvid poſſit is, cujus juri ſubſunt, qvàm qvid aliis præſtet, cogitant. Qvamvis autem utriusqve majeſtatis tractatio non careat multiplici utilitate; meretur tamen illa potiſſimum evolvi, qvæ Dominium ſeu Poteſtatem in creaturas ſignificat. Ipſius enim conſideratio non tantum in attributi cujusdam divini cognitionem ducit: ſed præterea utiliſſima ac primaria fidei noſtræ capita attingit, ut fortè non infeliciter tota Theologia hujusmodi methodo tradi, & ita qvaſi in nuce exhiberi poſſit. Atqve hoc ipſum etiam eſt, cur præſens Juris Divini in Creaturas tractatio à me ſuſcepta fuit.

Nam cùm ſtudiorum Theologicorum ſpecimen aliqvod in hâc qvoqve Academiâ dandum eſſet, placuit venerando Parenti ac Præſidi meo tale thema, in qvo elaborando vires periclitarer, mihi proponere, cujus perfecta cognitio non ex uno ſolo Chriſtianæ doctrinæ articulo, ſed è pluribus peteretur. Accingar igitur rei propoſitæ & abſolvam totam tractationem tribus Sectionibus, qvarum prima evolutionem vocum neceſſariam; altera Juris Divini in Creaturas qvidditatem, & qvæ ad eam pertinent; ultima regalia ſeu Jura Majeſtatis ipſius per qvæſtiones exhibebit. Faxit DEUS feliciter!

Caput Primum.

§. 1.

IN evolvendis ambiguitatibus vocabuli *Juris* non erimus hîc ſolicitè occupati. Præſtiterunt id accurato ſtudio moralis Philoſophiæ cultores, inter qvos eminet Hugo Grotius, qvi cum Antonio de Eſcobar in Theol. mor. ex Imâ l. 3. c. 1. q. 1 tres ſignificationes in principio librorum de Jure P. ac B. exhibuit, primarias ſolùm reſpiciens, cæteras non excludens, de qvibus videri poteſt Dominicus Bannes (tom. IV, qvi continet deciſiones de J. & J. in ſecundam ſecundæ q. 57. a. 1. p. 2.) Hujus loci Juris ille ſenſus eſt, qvo denotat (interprete Grotio) facultatem moralem perſonæ competentem ad aliqvid juſtè habendum vel agendum.

§. 2. Lapſus autem hîc eſt Gisbertus Voëtius, nec ſatis confuſionem evitavit, qvando Jus Divinum ſeu poteſtatem dixit *ideam rectitudinis & bonitatis DEI circa gubernationem creaturarum rationalium cum poteſtate in Legem ſeu præcepta ſe diffundendi ac per ea creaturas dirigendi & obligandi.* (Diſp. de J. & J. D. n. 1. diſp. Sel. tom. I. p. 340.) Qvamvis enim facilè largiamur, nullam realem diſtinctionem admitti debere inter *rectitudinem DEI, ejusqve* δίκην, δικαίωμα, *dominium*, ἐξουσίαν, *poteſtatem*, τὸ δέον, *autoritatem legislatoriam*; tamen enumeratorum aliqva formaliter differunt, ſalvâ reali ac perfectiſſimâ idenditate omnium in infinito eſſendi pelago, uti à Scholaſticis eſſentia divina appellatur.

Permutat ergò allata definitio *Jus DEI* cum *Normâ Juris*, qvæ duo probè à se invicem discerni debent.

§. 3. *Jus & Potestas* ferè idem exprimunt, & hoc pacto nobis etiam Synonyma sunt, ita tamen, ut non negemus discrimen formale, qvod inter utrumqve intercedit. Præterqvàm enim qvod *Jus*, (veluti Pufendorfius etiam notavit J. N. ac G. l. 1. c. 1. §. 20.) ultrà præsentiam qvalitatis moralis modum, qvô qvis eâ sit potitus, connotet; agnoscimus ulterius vocabulo *Juris* involvi non tantùm facultatem cum effectu morali hoc vel illud agendi, qvam propriè ac solitariè *potestas* exprimit, verum etiam qvalitatem, cujus beneficio nobis alter qvidpiam debere intelligitur. Sunt & alia *juris* cognata, veluti Dominium & imperium, qvæ qvia rursus & à se, & à *Jure* qvodammodo differunt, cum cautelâ qvâdam hûc accommodari debent. *Potestas in res proprias vocatur Dominium: Potestas in personas alias imperium propriè est*, ait Pufendorfius l. c. §. 19. Jus igitur DEI respectu creaturarum irrationalium, & inanimatarum Dominium fuerit; respectu rationalium Imperium, qvanqvam cum Dominio qvasi permixtum, siqvidem personæ, in qvas est potestas, peculiari ratione DEO propriæ sunt. Prætereà circa vocem *Imperii* observandum est, qvod illa, ut & vocabulum *Dominii*, sæpè actuale potestatis exercitium involvat, (observante Dom. Bannes in decis. de Just. & J. tom. IV. præamb. ad qvæst. 65. p. 50.) cum *Jus* ex adverso potius habitualis sit facultas. Proinde si adæqvata Synonyma Juris Divini *Potestas, Dominium, Imperium*, esse debent, extendendæ erunt istarum vocum fimbriæ, juxta eum modum, qvi ex hactenus dictis cognoscetur.

§. 4. Placet autem Potestatem DEI, qvæ ad extra terminatur, latissimè contemplari, qvatenus non solos homines, sed res omnes præter DEUM respicit, unde generali vocabulo *creaturarum* usi sumus. Eqvidem non est, qvod hic diu subsistamns, qvoniam de mente nostrâ facilè cuivis constat: Observandum tamen, creaturas creatas, non creandas seu creabiles nobis intelligi.

§. 5. Jus illud, qvod DEUS in creaturas creabiles habere concipitur, suo modô non minus actuale est, qvam jus in creaturas actu productas; variè autem explicari potest. Primò de rerum creandarum seu possibilium essentiâ vel qvidditate, qvam propterea hic excipimus, qvoniam in oppositum & contrarium sui mutari non potest. Sunt

enim hoc sensu rerum essentiæ æternæ & propositiones de illis immutabilis veritatis. Hinc homini non potest tribui essentia eqvi; nec eqvo essentia hominis: Ex impossibili non potest fieri possibile; nec hoc in imposſibile degenerare. *Loqvendo de essentiâ in præcisione, res possibilis hujus vel illius naturæ ita dicitur, non qvia* DEUS *voluit esse possibilem, sed qvia ex se non implicat contradictionem, ut esse possit; & sicut* DEUS *juxtà Mendozam volens producere hominem, non potest ei tribuere essentiam lapidis vel bruti, qvia non faceret hominem, sed lapidem:* Verba sunt Celeberrimi Domini Ossandri Annot. in Grotium, Obs. 5. in proleg. p. 60. Secundò *de rerum existentiâ & productione.* Qvô sensu DEO absolutissimum in res creabiles Jus assignandum est, Ipse enim liberrimè entia è statu posſibilitatis in statum actualitatis deducit, vel de deducendis saltem decernit. Nec ulli tempori alligatur supremum Numen, ita ut hôc potius; qvàm illô potentiam suam ad extrà manifestet. Tertiò *de rerum extiturarum seu creandarum futurâ ac decernendâ tractatione.* In qvâ acceptione creaturæ creabiles non sunt, qvæ creari tantùm possunt, sed qvæ actu ipso olim creabuntur. Præsuppoſito igitur decreto divino de rebus producendis, DEUS potestatem habet, circa has statuendi, qvicqvid bonitati & Justitiæ ejus non repugnat. Modò observetur, qvod uti omnis actus, circa objectum suum aliqvid efficiens, qvodammodo ab objecto pendet; ita exercitium juris divini ex habitudine & conditione rerum objectarum æstimari debeat. Qvoniam itaqve entia futura non simpliciter existunt, sed solum ratione decreti divini, hinc etiam actus Juris tantùm explicandi erunt juxtà prævisionem intellectûs & determinationem voluntatis DEI. Similiter figulus in vas nondum à se confectum, sed conficiendum, Jus qvoddam actuale exercet, decernendo, qvod ipsum huic vel isti usui dedicare, venum exponere, aut donare velit. Atqve hoc pacto non omninò inepti sunt Calvinianorum aliqvi, cum DEO Jus in Creaturas creabiles tribuunt, modo de hoc convenienter ac congruè ad normam Bonitatis & immutabilis Rectitudinis Divinæ pronunciarent. Illi verò, qvi decretum reprobationis, ipsi etiam decreto creationis præponunt, ab absurditate liberari non possunt.

§. 6. Hujusmodi Potestas in creaturas creabiles, non erit, ut diximus, nostræ considerationis; sed occupabimur hâc vice in evolu-

rione

tione Juris, qvod DEUS in creaturas actu productas, jamqve existentes, non uno nomine qvasi acqvisivit. Utut verò ipsius non possit propter objectorum genericam varietatem & nimiam dissimilitudinem conceptus per omnia univocus haberi : potest tamen, si non accurata, saltem qvaliscunqve generalis descripiio inveniri. Nimirum JUS DEI IN CREATURAS EST FACULTAS MORALIS IN DEO, QVA IPSE IN RES OMNES A SE CONDITAS PARTIM PROPTER SUA BENEFICIA, PARTIM PROPTER ISTARUM MALEFICIA STATUERE, ET CIRCA EAS AGERE POTEST, QVICQVID EJUS BONITATI, SANCTITATI ET JUSTITIÆ IMMUTABILI NON REPUGNAT.

CAPUT SECUNDUM.

§. 1.

AD plenè percipiendam essentiam Juris Divini, considerabimus, ductu exhibitæ descriptionis, Sex partes, sine qvarum perfectâ cognitione ista plenè intelligi non potest.

§.2. Initiò J.D. *Formam* expressimus Facultatis moralis vocabulo, qvô illorum sententia rejicitur, qvi dominium formaliter in relatione consistere existimant. Importat enim vox hæc absolutam potestatem, qvæ ad actus reales ordinatur. Satis clarè verò Autores prædictos refellit humani dominii consideratio, qvod utiqve realis qvædam perfectio & dignitas est, adeoqve non pro nudâ relatione animæ inhærente haberi debet. Et qvamvis non possint, qvæcunqve de homine affirmamus, propter adhærentem imperfectionem eâdem penitus ratione & univocè de DEO dici; illa tamen, qvibus perfectio aliqva simpliciter denotatur, secundùm id, qvod in formali conceptu suô implicant, etiam Supremo Numini competunt. Qvapropter Dominium in solo qvidem homine accidentarius modus & ab extrà veniens perfectio est, DEO autem tribuitur, qvatenus potestatem absolutam aliqvid agendi significat, qvæ cum essentiâ divinâ realiter identificatur & à potentiâ ejus perfectissimâ non differt. In qvo ipso rursus alia est hominum conditio, utpotè in qvibus ἐξουσία à δυνάμει sic distingvitur, ut una ab alterâ realiter separari possit. Hinc latro vires hominem occidendi, non potestatem, habet; & vicissim Principi subditos

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372279015/11 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

tos rebelles armatâ manu insurgentes puniendi jus competit, virtus ac robur sæpenumerò deest. Ast in divinis potentia à potestate divelli neqvit, unde absurdi sunt Calviniani, qvando asserunt humanæ naturæ in Christo communicatam esse ἐξουσίαν divinam, non communicatâ δυνάμει: Conf. Magnif. Dn. Calov. de personâ Christi p. 493. seq. Gerh. exeg. tom. I. loc. IV. c. p. 1385. Affelmann Syntagmatis part. I. qvæst. VII, de personâ Christi p. 132. & disp. IX. de Communic. in Christo natur. & Idiom. hypost. num. 123. seq. pag. 163. &c.

§. 3. Objectivè igitur vocabulum Juris seu Dominii, de DEO usurpatum, non nudum respectum rationis ad creaturas dicit, ipsius imperio subjectas, ut voluit Bannes, & Scholasticorum alii, (qvibus è diametro oppositi sunt, qvi hujusmodi respectum in conceptu formaliter significato solùm contineri arbitrantur,) sed simul, & qvidem primariò, facultatem absolutam moralem, (Thomæ sententia enim, qvâ Dominium omne potentiam coercitivam subditorum involvere scribit, Qvæstion. de potentiâ DEI, qvæst. VII, Art. X. ad IV. Tom. VIII. oper. p. 154. si de potentiâ Physicâ accipienda sit, probari neqvit, qvoniam Dominium sæpè est absqve hujusmodi potentiâ) in Deo significat, qvæ ab æterno ipsi competit, & subjectivè eadem facultas est, qvam in creaturas creandas habuisse intelligitur. Qvandoqvidem autem præterea, ut verisimilior sententia asserit, ad completum significatum Dominii divini pertinet connotatio creaturarum, earumqve relatio realis ad DEUM; inde fit, ut vulgò dicatur, DEUM non fuisse Dominum, anteqvam haberet Creaturas sibi subjectas, præeunte Augustino (l. 5. de Trin. c. 16. tom. II. oper. p. 324. seqq.) Hoc sensu qvoqve ab æterno rerum omnium Dominus fuit *potestate*, ab initio autem creationis *usu & actu*, ceu *loqvitur* Dom. à Soto de J. & f. l. 4. q. 1. a. 2. f. 101. qvem secutus est Sayrus Clav. Reg. Sacerd. l. IX. c. IV. n. 4. p. 532. Neqve hoc ullam in DEO mutationem infert, qvemadmodum nummus non mutatus est, cùm esse cœpit pretium, neqve cùm dicitur pignus, qvo simili rem Augustinus l. c. illustrat. Qvamvis enim creatura realiter referatur ad Creatorem ac Dominum suum; Dominus tamen ac Creator haudqvaqvam vicissim realiter ad creaturam, qvæ communior sententia est, refertur; nisi cum Nominalibus asseramus, relationes reipsâ non distingvi à fundamento,

& respe-

& termino; qvô ſuppoſito Immutabilitas Divina ſalvabitur, etiamſi relatio mutua inter Creatorem & Creaturas ſtatuatur. Sed iſtam hypotheſin pluribus impugnant Reales; conf. ex Philoſophis Sotum de Prædicam Rel. Fonſecam l. 5. Metaph. c. 15. qu. 2. ſect. 1. Conimbricenſes de relat. c. 7. Comptonem diſp. XI. met. ſect. III. Ex Theologis præcipuè Bannes in primam Thomæ qvæſt. 28. art. 2. & Valentiam tom. I. diſp. I. qu: XIII. p. IV.

§. 4. Poſtqvam oſtenſum eſt, notare Jus in DEO intrinſecam aliqvid agendi facultatem, manifeſtè conſtat, DEUM rectè dici hujus Juris *Subjectum*, liberato tamen vocabulo ab imperfectione, qvam involvit, qvando aptitudinem ad adjuncta cum accidentali ſui mutatione recipienda connotat. Siſtitur autem hoc Subjectum in Theologiâ revelatâ ſub ratione *Unitatis Eſſentiæ*, & *Trinitatis Perſonarum*, qvam Philoſophus, cujus Scientia omnis de DEO naturali lumine nititur, ignorat. Jam ſi qværatur, ſub qvânam ratione DEO jus in creaturas competat? invenimus ductu vulgatæ regulæ Theologorum, qvâ illa, qvæ cum ordine ad aliqvid extrà DEUM concipimus, indiviſim toti Trinitati convenire dicuntur, dominium rerum creatarum omnibus tribus Perſonis commune eſſe. Unde porrò ſeqvitur, DEUM hîc ſub ratione unitatis eſſentiæ conſiderari debere, qvoniam relationis oppoſitio identitati obviat, & communitatem hujusmodi fundare non poteſt. Prætereà ſicuti Dominium humanum in liberum arbitrium Scholaſtici, præeunte Thomâ (in primâ ſecundæ q. 1. a. 1.) refundunt, ejusqve Subjectum qvo, (alii fundamentum dicunt,) intellectum & voluntatem faciunt, uti eſt ap. *Sayrum*, (l. IX, c. IV. n. 10.) & *Bannes* (tom. IV. oper. de J. & J. præamb. de Dominio ad qvæſt. LXII. q. 1. p. 52.) ita etiam Facultas moralis, qvam DEUS in creaturas habet, voluntatem peculiariter reſpicit, ac velut in ipsâ radicatur. Eſt autem Voluntas attributum eſſentiale, non perſonale, ut conſtat.

§. 5. Interim negandum non eſt, diſtinctam Juris divini cognitionem omninò præſupponere notitiam Trinitatis, ſeu eam partem doctrinæ de DEO, qvæ tres Perſonas realiter diſtinctas in unâ eſſentiâ divinâ exhibet. Id ſatis clarè patebit in recludendis fontibus Dominii divini, maximè illius, qvod in hominem eſt. Redemtio enim & Sanctificatio, qvibus tanqvam beneficiis maximis & prorſus infinitis denuò creaturam lapſam ſibi DEUS obligavit, utut qvatenus opera ſunt ad extra, itidem pro indiviſis haberi debeant, tamen propter peculia-

rem Secundæ & Tertiæ Perſonæ manifeſtationem, ſine Trinitatis notiâ cognoſci neqveunt. Qvin & ipſum creationis opus, qvod ampliſſimam in res omnes poteſtatem fundare dicitur, Triuni DEO ſacræ literæ vendicant, ita ut peculiarem ordinem Perſonarum ſimul inſinuent, dum DEUM per Verbum (Pſ. XXXIII, 6. Joh. I, 3.) in Spiritu Sancto (Job. XXVI, 13.) creâſſe omnia teſtantur. Nimis temerè verò Henricus Gandavenſis hinc aſſeruit, non creâſſe Perſonas divinas per aliqvid, qvod ſit omnibus commune, ſed ſolum per Verbum & Amorem productum. Qvod utut Scholaſticorum alii rejiciant, tamen & ipſi tres Perſonas divinas creâſſe volunt, & per communem omnibus Eſſentiam, Intellectum, Voluntatem, Potentiam &c. & ſecundùm Proprietates eorum perſonales, qvatenus ſunt formaliter tales Perſonæ, Pater, Filius & Spiritus S. conf. Valentia (tom. I. diſp. III. qu. II. p. III.) Utuntur ſimili ab artifice petito, qvi opus per Verbum intellectus, & Amorem, qvô impellitur, efficit: Ac eo ſenſu verbum *dixit* (Gen. I. 3.) explicant, qvaſi id modum proponat, qvô per Verbum in Spiritu productum ſit univerſum. Sed magis ſubtiliter, qvàm ſolidè omnia diſſeruntur; & accuratius rimanti inſuperabiles difficultates ſe offerunt, qvas dum ſolvere Scholaſtici laborant, ipſi, qvid loqvantur aut ſcribant, neſciunt. Ita nimirum temerè audaculi eò penetrare nituntur, qvo ratio humana, niſi ſupernaturali lumine adjuta, aſcendere non valet.

§. 6. Latiſſimum Juris divini *Objectum* generali vocabulo *Creaturarum* deſignavimus, qvô hîc in eâ amplitudine utimur, ut accidentia qvoqve includantur, qvæ aliàs concreari potius, qvàm creari dicimus. Non enim datur ſubſtantia, aut accidens, qvod Phyſicè non ſubſit DEO; qvoniam ſubſtantia aut accidens, ſi non ſubeſſent Phyſico DEI Dominio, verè non eſſent, uti rectè ſentit Caramuel (Theol. Mor. l. 1. c. IV. diſp. V. p. 24. col. 1.) Porrò Creaturarum voce entia omnia præter DEUM complectimur, ſive illa immediatè ex nihilo producta, & propriè creata ſint, ſive per generationem naturalem ortus ſuos habeant.

§. 7. Qvod Subſtantias à DEO productas attinet, tanta eſt ipſarum varietas, qvantam mente noſtrâ aſſeqvi non poſſumus: Solent tamen generales qvædam claſſes vulgò conſtitui. Nam dividuntur primò generaliſſimè in animatas & inanimatas: Animatæ deindè aut vegetant ſolùm, aut ſentiunt inſuper: & harum rurſus aliæ ratione utuntur, aliæ carent. Omnium verò nobiliſſima eſt rationalis, qvæ ſub ſuo ambitu

conti-

continet Homines in hoc mundo inferiori, & in regione cœlesti Angelos, qvorum existentia sensu deprehendi neqvit, sed beneficio solius rationis, & qvidem revelatione divinâ adjuvandæ (ceu contra plurimos Scholasticos Arriaga rectè docet, in primam Thomæ tom. II. disp. I. sect. I.) solidè cognoscitur.

§. 8. In omnes DEUS jus illimitatum & nullatenus circumscriptum obtinet, de qvo tamen propter objectorum diversam conditionem & habitudinem distinctè loqvendum est. Hoc sensu juris divini, qvoad se simpliciſſimi & prorsus unius, qvatuor gradus facimus. Primus est in creaturas inanimatas, ad qvas præter substantias etiam accidentia referri possunt. Secundus in animalia bruta. Tertius in Homines. Qvartus in Angelos. Tertii verò præ omnibus considerratio & prolixior est, & utilior. Prolixior propter ampliorem originem seu multiplex fundamentum, ut alii loqvuntur: Utilior, qvoniam inde, qvantum & qvo jure DEO debeamus, intelligere licet.

§. 9. Non obstat autem Juri Divino in Creaturas irrationales Dominium, qvod homo in bestias & res inanimatas, cùm olim in statu Integritatis perfectissimè habuit (Gen. I, 26. II, 19.) tùm hodiè, saltem aliqvâ ex parte, possidet (Gen. IX, 2.) Nec est, cur vice versâ, propter Dominium divinum, Homini omne dominium propriè sic dictum auferamus, secuti vel Clementem, citatum à Caramuele (Theol. mor. l. 2. c. 2. Disp. XIX, n. 897. pag. 226.) vel Chrysostomum (Tom. 2. ad pop. Antioch.) qvem tamen defendit Sayrus, dum ait: *locutiones ejus non proprias esse, sed metaphoricas & concionatorias* (l. IX. c. V, num. 1.) Etenim Jus DEI in res ab eo jure, qvod hominibus in easdem competit, planè differt, (conf. Puffendorfium l. IV. c. III. §. 2. J. N. ac G.) & DEUS qvùm alicui creaturæ verum dominium rei donat, haudqvaqvam isto suo naturali dominio se abdicat, qvippe cujus etiam creatura incapax est, uti rectè Maccovius coll. Theol. Primi disp. XVIII, p. 62. seq. asserit. Unde cum grano salis accipienda sunt Scharrockii verba, qvando *DEUM* scribit *suum nobis in creaturas Dominium transtulisse* (l. 3. de off. J. N. num. 4. pag. 175.) Dependet autem Dominium humanum à divino, tanqvam ejus participatio, nec ipsum excludit; qvemadmodum in agenribus subordinatis realis efficientia causarum secundarum concursum causæ primæ non tollit, aut negat. Qvod si Theologi, vel

Moraliſtæ in collatione duplicis hujus Dominii ſeu Juris ad oſtendendam prærogativam Divini aſſerunt, hominem eſſe *Dominum uſus rerum*, Deum verò *& naturæ & uſus* (vid. Sotum l. 4. q. I. a. II. Bannes l. c. pag. 51. Sayrum l. 9. c. 4. n. 4.); non adimunt homini directum dominium, ſolum utile, aut (qvod adhuc minus eſt,) nudum uſumfructum relinqventes, ſed ad actionem Creatoris productivam, cujus vi ipſe naturalis ſeu phyſicus rerum omnium Dominus eſt, reſpiciunt.

§. 10. Proximum eſt, ut Juris Divini in Creaturas *fontes*, qvi vulgò deſignari ſolent, perſeqvamur: Prius tamen videbimus, qvatenus Jus Divinum ab iſtis fontibus rectè derivetur. Sub initium hujus capitis §. 3. dictum à nobis fuit, facultatem moralem ſeu poteſtatem Deo ab æterno competiiſſe; qvæ aſſertio fundamentis è doctrinâ de immutabilitate, æternitate, ac ſimplicitate divinâ petitis nititur. Hinc verò manifeſtum eſt, non demum in tempore Jus ſeu Poteſtatem DEI, naſci, ſed ad omnia fundamenta, qvæ à nobis etiam adducuntur, antecedenter ſe habere. Proindè creatio, & reliqva, qvæ hîc nominamus, Beneficia Supremi Numinis, Exercitium potius Juris, ab æterno in Deo exiſtentis, qvàm Jus ipſum fundant aut efficiunt. Atqve id, ſi accuratius attendamus, contingit producendo exiſtentiam objecti, & ſubjectionem vel obligationem in ipſo, qvæ aliàs qvoqve communiter omni Juri reſpondet. Huc facit, qvod Scholaſtici dicunt nomen *Dominus* tria in ſuo intellectu includere; ſcil. potentiam coërcendi ſubditos, (circa qvam ſuprà aliqvid monuimus,) ordinem realem ſubditorum ad Dominum, & ordinem Domini ad ſubditos, qvi ſit vel realis vel rationis. Ubi ordo ille ſubditorum nihil aliud eſt, qvàm relatio Dominii Paſſivi, qvæ de novo in creaturis per divina beneficia producitur. Dicemus autem de obligatione inferius plura; nunc ſummatim obſervamus, Jus divinum non acqviri vel per creationem vel per redemtionem, niſi qvoad relationem ſubditorum ad DEUM, qvam in ſignificatu concretivo ac completo ſimul involvit; conf. §. 3. *hujus capitis*.

§. 11. Cæterum iſti fontes, è qvibus Jus Divinum in creaturas, vel (ut rectius dicamus,) obligatio rerum Juri Divino ſubjacentium manat, varii ſunt ac diſtincti, dum objectorum diverſitas, de qvâ §. 7. diſſeruimus, hîc ſeſe exerit. Ad generaliſſimum Dominium omnium rerum pertinet *creatio*, qvâ Supremum Numen hoc univerſum in & cum tempore immediatè, h. e. ex nihilo & nullius cauſæ ſecundæ interventu, ſe

tu, se solo potentissimè produxit. Hoc sensu etiam regius Psaltes ut causam Juris Divini in terram ejusqve plenitudinem, in orbem telluris & habitantes super eâ, allegat mirabilem & potentissimam ipsius fundationem Ps. XXIV. 12. Et ex eâdem ratione crebrò ac ferè perpetuò *Dominus* & *Creator* connectuntur Ps. LXXXVIII. 12. CXX. 2. Es. XLII. 5. &c. Qvemadmodum enim Deus, ut absolutè independens, suæ naturæ suarumqve virium perfectissimus Dominus est; ita qvivis effectus, qvi esse suum integrum à divinâ Potentiâ accipit, (veluti contingit in creatione, seu productione rei ex nihilo,) Dominio ac Juri Divino simpliciter subjacet. Ex hoc capite qvoqvè luculenter ostenditur, nulli enti finito competere tale Dominium, qvale DEUS propter creationem obtinet, qvia nulla finita causa effectui ita independenter totam essentiam suam largitur. DEUS autem ex hoc fundamento Dominus Physicus seu naturæ rerum omnium dicitur, qvia entitatem ipsarum physicè produxit, eandemqve rursus immutare & pro lubitu annihilare potest. Ast homo Dominus tantùm usus est, qvoniam orbe terrarum, tanqvam re alienâ utitur, salvâ ejus substantiâ; Dominiumqve ejus non extendit se ad omnem usum possibilem, sed respicit sola accidentia, qvod vocabulum Moralistæ & JCti hîc non in ἀκριβείᾳ philosophicâ (qvam in talibus frustrâ qvæsiveris,) sed pro servitute & utilitatibus accipiunt Conf. Caram. (l. 2. c. 2. disp. 19. num. 899. p. 227.) Dom. à Soto (l. 4. q. 1. a. 2.) Sayrus & alii.

§. 12. Est autem hîc loci imprimis considerandum, qvod DEUS ex solo beneplacito, non necessitate qvâdam naturali compulsus, universas creaturas produxerit. Nam, ut ex humanarum rerum contemplatione constat, maxima Juris seu Potestatis momenta in libertate sunt, ipsaqve non tantùm in exercitio, sed & in acqvisitione Dominii, imprimis physici (qvod qvisqve in entitatem à se realiter & physicè productam habet,) reqviritur. Hinc Caramuel *Dominium physicum directum actuale* (qvod tamen potius fundamentum est Dominii propriè sic dicti, stylo ejus, *habitualis*,) ita definit: *Est ipsa rei productio libera & realis, qvâ ita communicatur existentiâ termino, ut possit non communicari* (l. 1. c. 4. n. 86.) Qvid, qvod beneficia, qvorum dubio procul maximum est Creatio, ferè beneficia esse desinunt, & vim obligativam (saltim qvoad effectum moralem in subjecto passo) amittunt, cùm non ex libertate voluntatis, sed ex necessitate qvâ-

dam alteri exhibentur? Qvod verò impulsiva Creationis causa non alia in DEO fuerit, qvàm libera ejus Voluntas, qvâ Bonitatem suam infinitam & Potentiam patefacere communicando decreverit; id & ex Αὐταρκείᾳ Supremi Numinis, qvâ ipsum nullius rei indigum est (Act. XVII, 25.), & ex productione mundi in tempore ubertim patet, conf. Act. IV. 2. & Ps. CXXXV. 5. &c. Et qvia ex adverso processio Divinarum Personarum intrà infinitæ essentiæ sinum & complexum non libertate practicâ, aut indifferentiâ ad utrumqve contingit, sed omninò naturalis summèqve necessaria est; hinc seqvitur Patrem æternum Filii Dominum dici non debere; imprimis cùm hoc nomen, si vel maximè commodo qvodam ac orthodoxo sensu intelligatur, Arminianorum thesi, qvâ prærogativam in divinis absurdissimè fingunt, plurimùm inserviat. Conf. Soto l.c. & Caramuel l.1, c.4. Disp.2.

§. 13. Ad primum fontem Dominii divini refertur *Providentia.* Hæc sicuti Creationis liberæ libera continuatio est; ita etiam obligationem, qvam Creatio in creaturis efficit, qvasi porrò continuat. Ad specialium ejus actuum considerationem descendere prolixius foret, meretur autem imprimis ille attendi, qvem vulgò tertium faciunt, videlicet διοίκησις, & ea qvidem, qvæ est *κατ' οἰκονομίαν vel secundum naturalem administrationem.* Inde enim cognoscimus, qvo pacto illæ res, qvæ qvoad se in primâ creatione productæ non sunt, arbitrio divino subjaceant. Nimirum Creator, & Causa omnium, qvæcunqve hodiè per naturalem generationem esse incipiunt, DEUS dicitur, tum qvia primùm causas produxit, illisqve talem agendi virtutem indidit, tum qvia influxum potentiæ suæ in qvemvis effectum naturæ incessanter continuat. Hic verò influxus seu concursus qvamvis immediatè opus sive rationalis, sive irrationalis, aut etiam inanimatæ creaturæ attingat; tamen inde perperam à Durando (qvem defendit Hornejus, Disp.V. Theol. s.1.th.4.) infertur, DEUM immediatè, ut ab initio, ita hodiè creare. Non enim uti nunc, sic & olim, vel materia, vel causæ secundæ mediabant. Proindè ab immediatâ attingentiâ cujusvis effectus naturalis ad immediatam creationem ejus N. V. C. Rerum artificialium productio ab Homine, agente libero, peculiarem considerationem meretur. Homo, qvatenus ut naturalis causa in propagatione suæ speciei agit, Dominium absolutum in effectum non acqvirit, tum qvia hunc non producit qvoad esse simpliciter, tum qvia eo tempore

pore non liberè, ſed neceſſariò (non obſtante indifferentiâ ejus ad applicationem,) operatur. Artificialium autem, qvæ fabricat, videtur perfectus Dominus eſſe, qvoniam liberâ voluntatis determinatione ad ea ſe applicat. Nihilominus qvamvis hujusmodi rerum, qvæ ab arte proficiſcuntur, Dominium majus Homini meritò concedatur, DEO tamen ſuprema in res omnes, etiam artificiales, poteſtas relinqvenda eſt, qvia homo ſolam formam accidentariam in materiam præexiſtentem, nec ullâ ratione à ſe creabilem, inducit, & hoc qvidem non independenter, ſed ſuppoſito Supremi Numinis concurſu, qvod & vires utriusqve partis eſſentialis conſervat, & in eundem numero effectum cum ipſo influit.

§. 14 Hactenus Creatio & Conſervatio divina relationem univerſalem omnium creatorum ad DEUM, tanqvam autorem ſuum, efficit: Aſt prætereà in utrâqve aliqvid invenimus, qvod peculiariter ad agentia rationalia pertinet, & ipſa DEO ſpeciali nomine obligat. Qvod Creationem concernit, exornavit in eâ Summus Creator cùm Angelorum tum Hominum eſſentiam accidente naturali imaginis Divinæ, qvô præter Sapientiam Inteilectus & Rectitudinem Voluntatis, utrisqve communem, Homines etiam qvà corpus immortales erant & impaſſibiles. Ac licet imago divina non fuerit actualiter omnibus individuis humanis, qvippe non uno tempore exiſtentibus, concreata; tamen eam per naturalem propagationem ad nos mittendam vi benedictionis divinæ expectare potuiſſemus, niſi â Protoplaſtis, nobisqve omnibus perditè fuiſſet amiſſa. Ac proindè hoc beneficium non Adamum & Evam tantùm, ſed qvosvis ipſorum poſteros DEO eâdem ratione ſubjecit. Libertatem verò illam, qvam in actu Creationis univerſalis anteà obſervavimus, hîc m. in conceſſione integritatis primævæ reperire licet. Liberè enim DEUS cùm Angelos tùm homines imagine ſuâ, tanqvam dote naturali, condecoravit. Qvod ad Conſervationem attinet, initiò illud certum eſt, DEUM circa Angelos & Homines, eorumqve actiones peculiariter occupatum eſſe, & eas ſingulari curâ gubernare ac dirigere; unde nova obligatio in ipſis dubio procul exurgit. Dehinc ſpeciatim Angelorum Bonorum confirmatio ſe offert, qvâ in gratuitum obedienriæ præmium (non merito qvodam ſuo, ceu fingunt Pontificii) donorum initio Creationis conceſſorum & perſiſtentia & augmentatio ipſis contigit, Luc. XX. 36. 1. Tim.

V. 21.

V.21. Matth. XII,10. VI,10. Gal. l. 8. qvæ loca contra Arminianos, negantes Bonorum Angelorum confirmationem ex Scripturis satis probari posse, Nostrates urgent, conf. Magnif. Dn. D. Calovium t. IV. a. I. cap. 2. q. 1. p. 69. & Magnif. Dn. D. Scherzerum Syst em. Theol. l. IV. §, XIV. p. 105.

§. 15. Inter fontes Dominii divini refertur & *Delictum*, qvo tum Angelorum pars aliqva, tum Hominum genus universum à Creatore suo se avertit. Sic Arminius (exam. libell. Perkins. de prædest. Operum p. 656.) triplex fundamentum Juris Divini facit, & *niti ipsum* ait, *vel DEI in creaturas suas beneficio, vel creaturarum maleficio, vel contractu inter DEUM & creaturas inito.* Verùm id Gvil. Twisso (in vind. Grat. Pot. ac Prov. DEI l. 1. p. 2. s. 4. d. 3. pag. 178.) haud placet, qvi *executio*, inqvit, *juris, non tamen omnis, sed ejus, qvo patefit DEI justitia vindicativa, nititur aliqvâ ex parte hominum maleficio, non tamen Jus.* Et certè habent ista haud parvam veri similitudinem. Nam ut jam non repetam, qvod omnia fundamenta, cum proposita, tum adhuc proponenda, non ipsum Dominium (præcisè pro facultate sumtum,) qvoniam id ab æterno in DEO extitit, sed Dominii exercitium fundent; Delictum insuper Dominium non jam abstractivè, sed concretivè acceptum cum objecto, nimirum in Creaturas, potius præsupponere, qvàm efficere videtur. Propriè ei delinqvimus, cui legum ferendarum autoritas competit. Maleficium autem in eos, qvorum dominio non subsumus, admissum solùm ad restitutionem damni obligat. Nec contra Twissum erit, si regeras; maleficio hominum tamen id effectum esse, ut DEUS pro suo isto Dominio plura in delinqventes posit, qvàm anteà cùm innocentes essent, nec ullâ culpâ se contaminâssent. Qvo sensu rectè Arminius asserit: DEUM qvidem Jure per creationem qvæsito posse homini esse, qvod ipsi dederat, auferre; at inde Jus non habere hominem æternæ pœnæ addicendi, nisi peccatorem factum. Facilis enim responsio erit, Jus puniendi Deo ante Delictum reverà competiisse, exercitium autem Juris à Delicto dependere, qvoniam illo non perpetrato vi bonitatis ac sanctitatis suæ hominem punire non poterat, sicuti post perpetratum ex Justitiâ vindicativâ eundem necessariò puniviset, nisi plenissimè esset à Mediatore satisfactum. Hoc pacto igitur fortè rectius ad Dominii normam referretur delictum, qvàm ad ejus fundamenta. Cæterùm ab isto loco alienum fuerit, peccatum à Diabolis perpetratum, & crimen ab hominibus commissum prolixè persequi, vel inqvirere etiam,

qvô

qvô modô nos, qvi posteri Adami sumus, in ipso verè ac realiter peccaverimus. Physicè id fieri, nobis nondum existentibus, haud potuit; sed imputativè nostrûm omnium peccatum est, qvod Protoplasti commisêre. Æqvitas autem illius imputationis inde constat, qvoniam Adami voluntas, qvi totius humani generis radix, & persona moralis compositа erat, ex voluntate Creatoris nostra esse censebatur non formaliter, sed interpretativè, ceu benè deducit Slevogtus Disp. de causâ morali §. 32. seqq conf. Dn. Calovius tom. V. art. II. c. II. qv. I. p. 159.

§. 16. Hactenus de Dominiô partim generalissimo in omnes creaturas, partim generaliori in agentia rationalia dictum est; qvæ nunc seqvuntur, speciatim ad homines pertinent. Considerandа nimirum est *Redemtio,* qvâ Christus, se pro peccatoribus offerendo, in arâ crucis iræ Patris satisfecit, & potestatem Diabolicam destruxit. Qvod si nullum aliud Juris Divini fundamentum esset, sufficeret vel sola hæc liberandi actio ad perfectissimè & infinitè nos obligandum. Sive enim vitæ servatio eum, cui qvis vitam adimere potest, servum facit (unde & vox servi primùm derivari videtur, obs. Osiandro ad Grot. l. 3. c. 7. ad th. III. p. 1470.); Sive Redemtor soluto redemtionis pretio in redemtum jus acqvirit; qvod hodièqve sub imperio Turcico res ipsa comprobat: Sive deniqve ad minimum æqvum est, ut, qvi redimitur ab hostibus, redemtori serviat, donec pretium reddiderit, ceu ex Qviritium legibus Grotius deducit (l. III. c. IX. §. X.): Illud Christi beneficium infinitum in captos ac sub potestatem alienam venundatos, omnimodè ipsi homines vendicavit. Hinc suo sangvine Christus nos acqvisivisse, ἠγόρασας, dicitur, Act. XX. 28. itidemqvè Dominus noster vocatur, qvi nos emit, 2. Pet. II. 1. *Habemus autem hoc sensu unicum Dominum in cœlis* (dicente B. Danhauero Lactis Evang. part. 5. conc. 16. p. 783.) *nempè Christum Filium DEI, siqvidem nec Pater nec Spiritus S. suo nos sangvine redemerunt:* & hinc fortè cuipiam videatur, malè à nobis relatam esse redemtionem inter fundamenta Juris Divini, qvod ex nostrâ confessione, §. 4. omnibus Personis commune est. Nihilominus qvoniam opus redemtionis terminativè qvidem & œconomicè soli Filio tribuitur; inchoativè tamen & operativè toti Trinitati competit: ideò Dominium, qvod à Redemtione sacræ literæ arcessunt, qvodammodo etiam Patri & Spiritui S. vendicatur; maximè cum totum opus Salvationis nostræ consideramus, nec tantùm actus meritorios

rios & sacerdotales Christi, sed & immensam gratiam ac misericordiam Patris Divini respicimus.

§. 17. Qvæ huic sententiæ, ex beneficiis, à DEO creaturarum generi universo exhibitis, obligationem Juri Divino respondentem deducenti, Moses Amyraldus opposuit, ab Eruditis abunde discussa sunt, sic, ut nobis in eâ materiâ nihil sit reliqvum: lege Steph. Curcellæum in diss. de Jure DEI in creat. innoc. c. II. & Danhauerum Hodom. Calvin. Phant. Phantas. §. 41. pag. 226. seq. it. Episcopium Disp. Theol. VII. §. 4. &c. Similiter illos etiam, qvi implicitè nobis contradicunt, prolixè alii refutârunt; vid. imprimis Pl. Reverendus Dn. L. Rechenberg de comparatione Juris DEI in Domum Israel & figuli in massam c. 2. §. 4. *seqq.* Solus Cumberlandius supereſt, ad partes hîc vocandus. Is in disqvisit. de legibus naturæ c. VII. §. VII. negat Dominium DEI (vel potius ejus exercitium) in creationem, tanqvam ejus originem resolvendum esse, qvoniam Dominium omne jus qvoddam sit, jus autem sit Potestas à lege aliqvâ, saltem analogicè dictâ, concessa, seu permissa, ac proindè legem Dominium concedentem seu permittentem primò agnosci debere. Non jam ad legem, à qvâ Dominium, tanqvam Jus seu potestatem, DEO concessum putat, examinandam descendemus; neqve hîc attinet disqvirere, num rectè leges naturæ ad unicam generalissimam de communi bono omnium rationalium ptoseqvendo reducantur? Qvod rem ipsam concernit, cogitandum Autori relinqvimus, an, stante ipsius hypothesi, dominium humanum ex assignatione seu donatione DEI ortum esse satis commodè dicatur? & annon potius similiter qværenda lex sit, qvæ homini jus tale concesserit, vel saltem permiserit? Eqvidem non diffitemur, in ostendendâ cujusvis Dominii origine observandum esse, ut ex illâ legitimè ac rectè jus seu potestas hoc vel illud agendi profluat. Attamen non seqvitur, Dominium omne ex lege adæqvatè deduci; sed hæc collateraliter potius se habet, & causæ, qvatenus inde Dominium oritur, veluti adhæret. Sic igitur rectè dicitur: *Qvia Deus creavit, ideò rerum creatarum Dominus est.* Si autem hujus illationis veritatem inqviras, utiqve ea nititur lege, qvæ Creatori in sua opera producta potestatem concedit. Interim non rectè infers: ergò Dominium hoc non ex creatione, sed ex lege erit deducendum.

§. 18. Post examinata fundamenta Juris Divini conseqvens est, ut cum Amyraldo inqviramus, *qvousqꝫ illa potestas, qvæ est in DEO, pro-*

gredi

gredi qveat? Sicut autem aliàs inter potentiam & poteſtatem maxima eſt cognatio; ita hîc qvoqve in inveſtigando eo, qvid moraliter DEUS poſsit, conſideratio eorum, qvæ phyſicè poteſt, lucem haud parvam accendit. Adæqvatum omnipotentiæ Divinæ objectum ſunt omnia poſſibilia, כל דבר Zach. IIX. 6. Luc. I. 37. Similiter DEUS moraliter poteſt, qvæcunqve *poſſibilia*, hoc eſt, *juſta* ſunt. Et ſi potentiæ Numinis nihil derogat, qvod per eam impoſſibilia fieri neqveant: certè Jus Creatoris qvoqve abſolutum eſſe non deſinet, utut ad res injuſtas ſe non extendat, uti contra Amyraldum deducit Petrus Molinæus in tract. Gallico. Examen de la Doctrine de Meſsieurs Amyrauld & Teſtard touchant la prædeſtination contr. 3. chap. 9. pag. 46. qvem hâc in parte laudat Autor (qvi eſt Steph. Curcellæus, ut conſtat ex c. 1. vind. de Jur. D. in cr.) Tractatus; Advis d' un perſonage des-intereſſé ſur l' examen fait par Mr. du Moulin, ch. 10. p. 70. Porrò uti DEUS per abſolutam potentiam facere qvædam poteſt, qvæ tamen actu nunqvam facit, qvoniam ad certum agendi modum liberâ voluntatis determinatione ſeſe alligavit: ita nonnulla, etiamſi ſimpliciter injuſta non ſint, & propterea divinæ eſſentiæ non repugnent, fieri tamen à DEO non poſſunt, poſtqvam is certo pacto ac fœdere creaturis ſe devinxit. Unde verò, qvid poteſtati divinæ poſsibile ſit vel abſolutè vel ordinatè, cognoſcimus, id vulgò *Norma Dominii Divini* appellatur, acceptâ ſimilitudine ab humanis, ubi cum in genere actionum moralium, tum ſpeciatim poteſtatis in ſubditos regula lex eſt.

§. 19. Hujus *Normæ* loco aliqvi aſſumunt beneficiorum à DEO hominibus conceſſorum *menſuram*. Ita Arminius diſp. prior. XXVII. §. 3. & Triglandius theſ. de Dominio divino, qvem ideò, ſed ſuppreſſo nomine, refutat Szydlovius vind. qvæſt. diff. c. XI. p. 153. Sed utut omninò verum ſit, qvod Arminius l. c. ait: *non poſſe ulterius jus extendi, qvàm cauſa illa, unde jus eſt, & unde dependet, patiatur*; nondum tamen ejus ſententia ſic placet, ut pro normâ vel creatio, vel alia qvævis beneficia in hominem collata aſſumantur. Obſcurum enim ac perdifficile fuerit, ductu hujus normæ invenire, qvid juri DEI conveniat, qvid non conveniat? neqve inde ſatis clarè deducetur, qvod v. g. affligere & cruciatibus ſubjicere creaturam innocentem DEUS ex hoc Dominio non poſſit. Etſi enim certâ ratione Arminio (cont. Perkinſum p. 656.) concedi debeat, miſerum eſſe, gravius

vius esse, qvàm non esse, si videlicet miseria æterna intelligatur, qvo modo nec Twissus (l. 1. p. 2. s. 4. p. 179.) nec Maccovius (in prælect. pro Perkinso p. 25.) assensum negare possunt: tamen axioma generaliter acceptum fallit, & mala est collectio: *fœlicem esse majus est, qvàm esse; E. miserum esse majus est, qvàm non esse:* cujus causam benè prodit Twissus loc. alleg.

§. 20. *Norma* igitur vera *Dominii Divini est Bonitas & Sanctitas DEI*, qvibus attributis qvicqvid repugnat, id à DEO fieri non potest, eum in modum, qvo sub objecto omnipotentiæ divinæ haud continentur, qvæcunqve vel simpliciter impossibilia sunt, vel imperfectionem dicunt. Perfectissima enim harmonia cùm inter attributa & essentiam, tum inter attributa invicem necessariò reperitur propter omnium identitatem in DEO, ceu ostendit Maximè Rever. Dn. D. Alberti in disp. de Harm. Attr. & Essent. c. 2. §. 2. seqq. Et si hæc identitas salva, hoc est, Deus Deitatem non exuere debet, fieri profectò non potest, ut ulla vel minima inter has proprietates pugna locum habeat.

§. 21. Qvod itaqve humanæ potestati leges sunt vel naturales vel positivæ; id Dominio Divino est Sanctitas & intrinseca Voluntatis propensio ad bonum. Hinc constat, qvod hominum qvidem, non autem Dei Potestas sit limitata & circumscripta, qvoniam Prima Causa non subjicitur legibus à Superioris cujusdam voluntate pœnâ præmiovè sanctis, sed *sibi ipsa Lex est*, ceu vulgare verbum habet, qvod Moses Amyraldus apud Curcellæum repetit, non attendens, se eo proprium jugulum petere.

§. 22. Haudqvaqvam verò nobis contradicunt, qvi *Justitiam Essentialem* pro *normâ Divini Juris* assumunt. Qvoniam per *Justitiam* primariò intelligunt illam *universalem*, qvæ nihil aliud in DEO est, qvàm immutabilis ejus rectitudo & lex æterna, cui contravenire DEUS nec vult, nec potest. Morales enim virtutes propriè, & qvatenus affectus ad mediocritatem redigunt, in Deum non cadunt, & ita nec Justitia universalis, prout ejusmodi virtutum complexus est, eidem tribuitur, sed cum Bonitate & Sanctitate Divinâ, ut diximus, prorsus coincidit. Secundariò antèdicti autores Justitiam particularem insuper intelligunt, qvam nos qvoqve pro normâ Juris Divini convenienter agnoscimus. Haud levis autem controversiâ hîc exoritur, an utraqve Particu-

laris

laris Justitiæ humanæ speciei, commutativa videlicet & distributiva DEO competat, & an secundum utramqve DEUS justus sit Dominus? Infinitæ sunt lites, qvas hîc movent Scholastici, & summâ animorum contentione certatur illinc ab affirmante Svario & assectis, hinc à negante Vasqvio eundemqve seqventibus, conf. Theol. Zachar. Dorschei part. II. p.165. Non displicet judicium, qvod Arriaga tulit; magnam controversiæ partem de solâ voce esse, circa significationem scilicet nominis *Justitia*, in III. Thomæ, Cursus Th. tom. VI. dis. II. s.I. n.2. p.120. confer eundem in primam Thomæ; Tom. I. Disp. 30. sect. I. n.3. p.373. Habitualiter qvidem DEUM utroqve modo justissimum esse, & suum cuiqve constanter tribuere dubitari non debet. Exeruit certè actu ipso se Justitia Commutativa in acceptatione consummatissimæ satisfactionis Christi, cujus merito præmium salutis æternæ strictè debebatur. At si qværitur: an inter DEUM & Homines, sivè illi ut integri, sivè ut lapsi considerentur, justitia vel commutativa vel distributiva intercedat? absolutè id negandum est, qvoniam inter nullum actum creatum & bonitatem increatam intercedere potest proportio, adeoqve justitia, dicente Magn. Dn. Scherzero System. Theol. l.II. §.XVI. p.50. Confer B. Dn. Höpfnerus in aureo tractatu de Justific. disp. X. aph. VI. §. 23. p. 940. nisi qvod de correctrice, si ea, cum qvibusdam Moralistis, ad commutativam referatur, nonnihil aliter judicandum est. Delictum enim seu maleficium humanum, utut, qvatenus creaturæ actus est, finitum sit, tamen prout Creatorem infinitum lædit, ratione reatûs fit infinitum (conf. Dn. Scherzeri Colleg. Anti Soc. disp. CLIV. obj. XVII. p.1244.) & idcircò naturalem seu essentialem justitiam DEI provocat, ut de peccatore pœnas infinitas sumat. Intercedente autem pacto vel fœdere justitia inter DEUM & hominem, saltem integrum, locum habere posse qvibusdam videtur, ita, ut DEUS, illis, qvæ reqvisiverat, ab homine præstitis, ad standum promisso ex Justitiâ obligetur. Sed alii negant in DEO ex promissione oriri obligationem justitiæ; & solius fidelitatis vel veracitatis nomine ipsum obstringi volunt. Ac ne putes meram hanc λογομαχίαν seu litem de vocibus esse, asserunt hi autores, *Dominum* (DEUM) *servo* (homini) *salvâ veritate & fide vestem* (gloriam) *promissam denegare, aut concessam ab eodem auferre non posse; sed si auferret, contra justitiam id non fore.* Ita B. Jac. Martini in Antibec. part. I. disp. 14. n.22. p.228. seq. Missâ tamen istâ controversiâ, cui immorari nunc non vacat, nos generatim fœdera &

pacta DEI cum creaturis inita Dominii ipsius alteram normam post Bonitatem & Sanctitatem esse profitemur.

§. 23. Priusqvam verò pactorum illorum varietatem exhibeamus, circa vocem observandum est, eam in latitudine qvâdam in Sacris literis usurpari, non tantum de conventione, qvæ fit stipulatione recîprocâ, sed etiam de mandatis certisqve sanctionibus vel cum conditione, vel absqve câ & obligatione mutuâ statutis, ceu docet B. Dn. Hülsemannus de aux. Gr. c. III. disp. I. Th. IV. §. 1. p. 45. Sic generaliter pactum Divinum, præeunte B. Dn. Lysero disp. de fœder. th. 23, erit, qvo DEUS voluntariè rationalibus stipulatur & promittit aliqvod bonum, easdem vicissim obstringendo, ut præstent ea, qvæ ab illis reqvirit. De hujusmodi fœdere aliqvo, cum Angelis inito, nihil eqvidem disertè Scriptura tradit, attamen ex legis moralis in mentes angelorum æqvè ac hominum inscriptione, ex confirmatione obedientium in bono, & ex rebellium damnatione ac pœnâ utcunqve colligitur, DEUM etiam cum ipsis pepigisse eo modô, qvem hoc vocabulo, in latiori significatione accepto, exprimi anteà diximus. Luculentius autem è sacro Codice de illis pactis constat, qvæ DEUS cum humano genere diversis temporibus iniit. Statim in primâ hominis formatione concreatus ipsi est habitus primorum principiorum moralium, perfectè ostendens, qvo pacto creaturæ Conditorem suum venerari, eiqve conformes esse debeant. Hisce legibus, ipsi naturæ inscriptis, accedebant ex arbitrio Summi Legislatoris qvædam positivæ, qvarum primaria fructum arboris Scientiæ Boni & mali prohibebat. Omnibus verò cùm naturalibus, tùm positivis, uti per vires creatas homo integer perfectam obedientiam præstare poterat; ita si eandem præstaret actu, vita, hoc est, felicissimi status continuatio à Divinâ benignitate & clementiâ ipsi spondebatur; qvemadmodum vicissim transgressuro gravissimarum pœnarum comminationes Justitia DEI proponebat: Gen. II, 17. Et, qvod perpetuò doleamus, eò res devenit, ut Protoplasti, astutiis diaboli seducti, divina mandata læserint, seqvè pariter & nos omnes pœnarum, inobedientiæ positarum, reddiderint obnoxios. Immensa tamen DEI φιλανθρωπία effecit, ut surrogato in locum nostrum mediatore, qvi plenissimè pro nobis satisfaceret, Ira Patris placaretur, & Benignus ac Misericors Dominus novum fœdus cum lapsis feriret.

§. 24. Hoc est Pactum illud Evangelicum, cujus qvidem annun-

nunciatio Protoplastis statim post peccatum facta, Gen. III. 15; perfectio verò ultimis temporibus reservata est, cùm vicarius sponsor expiatoriâ passione se stitit; sed ità, ut interim vim suam antrorsum etiam pleniſſimè exeruerit. In hoc pacto adoptio lapsorum & hæreditas vitæ æternæ, cœlestisqve animarum salus omnibus offerebatur, itidem sub certâ conditione fœderali, videlicet, si homo in Messiam constanter crederet, ejusqve meritum verâ fide sibi applicaret. *Illa tamen conditio(* verba sunt B. Dn. Höpfneri §.25. p.490. *qvæ reqviritur ab hærede juxta Pactum Evangelicum, diversissima est à conditione pacti legalis: qvia fides, per qvam gratis confertur jus hæreditatis cœlestis, non spectatur ut opus, sed ut organum apprehendendi perfectam Christi justitiam.* Nimirùm, ut paucis multa dicamus, fides non est meritoria, sed instrumentalis conditio, necessaria à parte recipientis, uti loqvitur B. Dn. Hülsemannus Breviar. c. VIII. §.13. p.103. Et conditionalis particula Si in promissione Evangelicâ: *si credideris, salvus eris;* non est ἀἰτιολογικὴ sed συλλογιστικὴ, docente laudato Dn. Höpfnero LL. Theol. loc.22. §.8. p.366. Cæterùm dum pactum Evangelicum contradistingvimus pacto illi, qvod exhibet status primævus, neutiqvam eos seqvimur, qvi Pactum DEI, ministerio Mosis cum Israëlitis initum, non aliud esse, qvàm Evangelicum, docent, & hoc propterea in Vetus & Novum dividunt, ut facit Calixtus in disp. de pactis §. 43. 45. 46. seqq. (confer B. Dn. D. Hülsemann. in prælect. publ. ad Breviar. c. VIII. Thes. IX. X. XI. qvæ adjunctæ sunt vindiciis S. Scripturæ p. 1176.) Potius Pactum Mosaicum à nobis intactum mansit, partim, qvia ipsum cum primo coincidit, & ejus qvædam repetitio est, partim, qvia lex post lapsum est inutilis, & jugum ἀβάστακτον, Act. XV, 10.

§. 25. Qvoniam verò hæc pacta non sunt, ut manifestum est, inter pares, sed inter Superiorem & Subditos, inter Dominum & Servos; hinc certo modo ac respectu eadem ad Dominii exercitium & actus pertinent, qvatenus videlicet Creator, jubendi potestate pollens, creaturas legibus obligat ad parendum, non reqvisito harum consensu, ut acceptent præmia, qvæ obedientibus, & pœnas, qvæ malignis ac refractariis ab ipso ponuntur. Nihilominus sub aliâ ratione ad dominii divini normam rectè referri possunt, prout ipsorum vi potestas, aliàs absoluta, fit qvasi ordinata, ut præter & contra fœderalem conventionem DEUS agere ex hypothesi neqveat.

§.26. Di-

§. 26. Diversam autem Normam Juris divini ab eâ, qvam nos statuimus, Szydlovius, Twissus, Retorfortes, Baronius & alii faciunt, dum negant, dari aliqvid antecedenter bonum ad voluntatem divinam, & libertatem DEI omnis bonitatis ac malitiæ originem ita statuunt, ut ab eâ perindè dependeat Parentum cultus, diviniqve Numinis veneratio ac prohibitio fructuum de arbore Scientiæ boni & mali. Verùm uti sententia ista inanis, & ad Universalem atheismum, judice Dn. D. Hülsemanno (in Manuscriptis casibus Conscientiæ l. 2. c. 13. §. 7.) prona est; ita in eâ rejiciendâ antehâc multùm & prolixè plures versati sunt, ut actum omninò agat, qvi novam ipsius refutationē moliatur. Conf. imprimis Curcell. l. all. toto c. 4. p. 23. seq. Voëtium select. disp. tom. I. in diss. de J. & J. Div. passim; maximè in ep. ad Szydlovium p. 388. seqq. Hülsemannum l. all. & Lamb. à Velthuysen de cultu DEI naturali contra Spinozam cap. 5. 6. 7. &c.

§. 27. Eminentissimo Juri ac Dominio in Deo respondet obligatio in creaturis, potestati illius subjectis. Et hæc qvidem in tempore, ut suprà monuimus, cœpit; qvid verò per ipsam nobis incumbat adversus Deum, universi hujus Moderatorem? id perqvàm facilè fuerit ex hactenus dictis invenire. Qvodcunqve vi sui Dominii, ad justitiæ & bonitatis normam exacti, in creaturas Deus statuere potest, id omne creaturæ pati necessitate morali coguntur: & Qvodcunqve Deus à creaturis exigit, ad id optimè efficiendum naturaliter obligatæ sunt. Breviter hæc complectitur, qvi ait, congenitæ obligationis vi creaturam teneri, ut Deum veneretur, ejusqve imperio ac legibus obsecundet. Qvandoqvidem verò generatim obligatio solam voluntatem afficit, qvæ in utramqve partem sese flectere, & ad normam aliqvam moralem componere potest; hinc fit, ut obligatio, qvæ ex Jure DEI in altero termino consurgit, propriè in sola agentia rationalia cadat, non simul in reliqvas creaturas, qvæ ad unum oppositorum determinatæ semper uniformiter agunt. Ex hoc capite porrò manifestum est, qvod cap. 1. diximus, non habere Jus Divinum eundem respectum ad omnes creaturas, qvoniam videlicet non omnes sunt vel injuriæ vel obligationis capaces. Interim negandum non est, circa has qvoqve actiones bonas & malas, justas & injustas elici posse. Qvod autem creaturas rationales attinet, sic universalis est illarum obligatio, qvâ DEO vinciuntur, ut nulla prorsus excipi qveat. Unde ineptè, imò impiè, Atheos legibus divinis

non

non obligari, nec Imperio Creatoris ſubeſſe docet Hobbeſius,(de civitate c.31. p.m.167.) eò, qvòd nunqvam voluntatem ſuam DEI voluntati ſubjecerint: vid. refutatum à Dn.D.Alberti juris Nat. part. II. c. I. in fin. p.57. & à Dn.L.Rechenberg diſp. cit. §.17.

§. 28. Humani Principes & Moderatores civitatum Jus ac Poteſtatem obligatione temperatam habent, qvâ ad rectè agendum cùm naturali & divinâ, tùm (ſi imperium non fuerit penitus abſolutum,) poſitivâ lege humanâ obſtringuntur. Aſt DEUS nulli creaturæ qvicqvam ita debet, ut id negare citrà injuriam non poſſit. Hinc obligatio propria in ipſum non cadit, qvippe qvi ſuperiorem non agnoſcit, à qvo ejus voluntati morale vinculum hujusmodi injiciatur. Promiſſa intervenientibus pactis eo modo, qvem § præcedentibus explicuimus, facta intemeratâ fide DEUS ſervat propter bonitatem ac veracitatem, qvæ non admittunt, ut aliqvis ab ipſo qvicqvam fruſtrà ſperet: Neutiqvam verò ex promiſſo jus propriè dictum creaturæ adverſus DEUM qværitur. Hinc ab impropriâ obligatione per fidelitatem, ad propriè dictam obligationem ex juſtitiâ malè colligit Arriaga, (qvùm in tertiam Thom. curſus Th.tom.IV.diſp.II.ſ.2.ſubſ. 2.n.22. p.124.) inconvenienter & indecorè de DEO (qvaliter de ipſo vel cogitare horrendum ſcelus eſt,) ita loqvitur: *Poteſt DEUS ſaltem ex promiſſione ſeu fidelitate ſe ita obligare, ut peccaret mortaliter, ſi per impoſſibile tunc factâ promiſſione, mihi petenti non ſterneret lectum, verreret cubiculum, calceos purgaret &c. E. ſine ullo ſcrupulo dicam, eſſe illum ad easdem actiones obligatum ex juſtitiâ.*

CAPUT TERTIUM.

§. 1.

HActenus, qvæ ad cognoſcendam naturam Juris Divini in Creaturas pertinent, evolvimus; reſtat, ut, qvæ ſint partes iſtius Majeſtatis, inqviramus. Humana Poteſtas civitatem gubernandi duplicis generis regalia habet, & alia exercet ergà ſubditos, qvæ immanentia dicuntur; alia ergà eos, qvi ditioni non ſubſunt, & hæc transeuntia appellari ſolent. Divino autem Juri nulla competunt transeuntia regalia, ſed ſolùm immanentia. Nihil enim in totâ rerum rerum univerſitate exiſtit, qvin DEO pareat; tantùm abeſt, ut qvisqvam ipſi par cogitari

possit. Fiet verò ista regalium divinorum pertractatio à nobis certis qvæstionibus, è qvibus patebit, qvousqve se Dominium seu Jus Divinum extendat.

§. 2. Initiò dispiciendum est: An creatura innocens à DEO, vi Dominii, qvod in ipsam habet, annihilari, aut (si de animatis speciatim sermo incidat,) vitâ privari possit? Hanc unanimi consensu affirmant, qvi aliàs in evolutione Juris Divini qvàm longissimè à se invicem abeunt. Facilè autem ratio affirmandi invenitur, cùm ea, qvæ antè dicta sunt, hûc applicamus. Tam latè patet, tamqve perfectum ac illimitatum est DEI dominium, sive id à beneficiis, sive, qvod hîc perindè est, ab ἀπειρογχῆ infinitæ essentiæ, cum Amyraldo, Twisso & Maccovio, deducatur, ut extendat se ad omnem usum possibilem h. e. Bonitati aut aliis attributis divinis non repugnantem. At verò his contrarium non est, beneficia modò concessa à creaturis repetere, qvippe qvorum Dominium Summus Creator nunqvam à se absolutè alienavit. Interim tenendum, DEUM sine causa illud, qvod prius indulsit, non auferre, multò minus inde qvandam delectationem capere; sicuti porrò nec ob indigentiam donationes rescindit, ut in hominibus usu venire solet, qvi eo in casu licitè aliqvando, qvod donaverant, reposcunt. De rationalibus creaturis id peculiariter observandum est, absolutè qvidem consideratas eodem modo, qvo entia reliqva, divinæ potestati subjacere, liberè destrui & in nihilum reduci posse: at cum certo statu & conditione sumtas diversâ ratione se habere. In statu integro DEUS Adamum post percussum cum ipso fœdus annihilare, vel occidere non poterat, qvamdiu legibus sancitis debitam obedientiam præstaret. Eundem verò mandatum de fructu arboris non comedendo transgredientem non tantùm temporali morte tollere, verùm æternæ etiam damnationi addicere jus erat. Porrò post promulgatum Pactum Evangelicum hominem credentem, renatum, pium, qvandocunqve placuerit, occidere, sed non infernalibus flammis destinare valet: utrumqve autem licet in eum, qvi fide in Christum ejusqve meritum ex propriâ culpâ caret.

§. 3. Pertinet huc controversia, qvâ dubitatur: An DEUS potuerit in V.T. jubere, ut hircorum vel vitulorum loco homines in holocausta offerrentur? Ubi initiò clarum est, nos non loqvi de hominibus, si mansissent in statu integritatis; Nam, ut modò audivimus, Adam,

qvous-

qvousqve legibus præscriptis conformem vitam ageret, non poterat vi promissionis ipsi factæ à DEO interfici, aut vitâ exui; Sed de hominibus lapsis, qvi peccato mortem tanqvam pœnam commeruerant. Secundò certum qvoqve & indubium est, de facto non licuisse hominem istâ fini mactare, idqve tum, qvia speciale mandatum divinum deerat, sine qvo hominem innocentem necare nemini licet; tum qvia manifestè prohibitus erat, hujusmodi Numen placandi modus: Devter. XII 31. &c. Nec obstat qvod Lev. XXVII, 27. legimus: כל חרם אשר יחרים איש ליהוה מכל אשר לו מאדם ומבהמה ומשדה אחוזתו לא ימכר ולא יגאל כל חרם קודש קדשים הוא ליי כל חרם אשר יחרם מן האדם לא יפדה מות יומת: *Omne anathema, qvod devoverit homo Domino ex omnibus, qvæ habet, ex homine & è pecore & ex agro possessionis suæ, non vendatur, nec redimatur: Omne anathema sanctum sanctorum est Domino; Omne anathema, qvod devovetur ex homine, non redimatur, morte moriatur.* Neqve enim ex his verbis inferri debet, ultroneâ consecratione Judæis licuisse alium, saltem in qvem potestas esset, ut sui Juris devovere, eundemqve morti addicere, ac DEO immolare; & multò minus hinc deduci potest, parentibus in liberos, heris in servos Jus Vitæ & Necis à DEO concedi; qvod facit Lud. Capellus de voto Jephthæo: Sed respexit Moses, istud præceptum Israëlitis proponens, ad bella Domini singularia ab ipsis gerenda, in qvibus si vel urbem aliqvam, vel populum victores devovissent, noluit oblato pretio aut certâ pecuniæ summâ anathema redimi, ceu ad mentem Jarchii, ac Maimonidis, Bechai, Ralbag, & Menachem (in Minchah belulah) docent. Et hinc constat, qvam multipliciter Jephtha, Judaicæ gentis Dux & Judex, peccaverit, cùm voto imprudenter facto eò devenit, ut filiam unicam ipse pater immolaret: Jud. IX, 29. seq. Nam & vovendo rem illicitam deliqvit, & multò gravius crimen ab ipso commissum est, qvando turpe promissum turpius implevit. De hujusmodi enim votis meritò dicitur, qvod in Jevamot c. 13. fol. 109. col. 2. Judæorum Magistri proferunt: הנודר כאלו בונה במה והמקיימו כאלו הקריב עליה Et qvod speciatim Jephtha ad exolutionem facti voti obligatus haud fuerit, testantur Rabbini, cum ajunt: אפילו הקדש דמים לא היה חייב: Qværitur igitur (ut ad rem redeamus,) non qvid DEUS fieri voluerit, aut præscripserit, sed qvid pro Jure suo præcipere potuerit?

de qvo ut eò felicius judicemus, primùm utriusqve partis, cùm affirmantis, tùm negantis, fundamenta exhibebimus.

§. 4. Pro negativâ ſententiâ tria adduci poſſunt. I. qvod Deus aliqvoties teſtatus ſit, ſe graviſſimè averſari, & execrari victimas humanas; & imprimis Devt. XII. 31. non ſine pondere declaraverit, ipſas ſibi *abominationi* eſſe, dum de gentibus inqvit: כל תועבת יהוה אשר שנא עשו לאלהיהם II. qvod crudelitatis nota, qvam DEO impiè impingunt Marcionitæ, Valentiniani, Manichæi &c. non poſſit penitus abſtergi, ſi humano ſangvine delectaretur, eôqve ſe coli præcepiſſet. III. qvod, ſi vel maximè in DEO nihil obſtet, qvò minus hominem in ſacrificium poſtulare potuerit, tamen ex ipſius ſacrificii conſideratione peculiaris difficultas naſcatur. Qvæcunqve enim in Veteri Teſtamento ex beſtiarum genere in holocauſtum DEO offerebantur, ea immaculata eſſe debebant, ſine vitio, non cœca, non fracta, non habentia cicatricem, non papulas, non ſcabiem, non impetiginem &c. uti conſtat ex Lev. I. 22. idqve tùm, ut agnus immaculatus, qvi olim peccata noſtra portaturus erat, præfiguraretur; tum ut ſanctiſſimæ Puritati Numinis ſatisfieret, qvæ cultum omnem immundum ac pollutum averſatur. Jam verò omnis homo peccato & originali & actuali contaminatus eſt, & propterea hoſtia DEO grata fieri neqvit.

§. 5. Affirmativa pars tribus itidem rationibus ſvadetur. Primò enim homini, qvi nullatenus innocens haberi debet, omninò aliqvando moriendum erat. Qvare uno aut altero anno tempus hoc pacto antevertere non fuiſſet usqve adeò moleſtum, nec injuriam nobis ullam intuliſſet; qvæ verba ſunt Petri Martyris LL. comm. cl. 3. c. 6. n. 19. p. 583. Secundò convertiſſet DEUS mortem in multò majus & optabilius bonum ejus, qvi hoc modo mortuus eſſet, qvàm ipſa vita fuiſſet; & ſciviſſent omninò, qvi fuiſſent immolati, ſe æternum cum DEO victuros. Tertiò proſtat exemplum Abrahami, qvi Gen. XXII. 2. filium offerre diſertis verbis jubetur. Cùm verò voluntas divina illic non ficta aut illuſoria, ſed vera & prorſus ſeria fuerit; ſeqvitur profectò rem mandati non fuiſſe per ſe injuſtam, aut naturæ divinæ contrariam. Nec hîc ſufficit dicere, qvod fides placuerit, non cædes: qvoniam in re illicitâ ac turpi turpis eſt obedientia. Nec præſidium ab illis peti poteſt, qvi attendentes ad vocabulum העלהו ſolos actus præparatorios ad ſacrificium Abrahamo divinitus injunctos eſſe volunt, neutiqvam verò ipſam Iſaaci mactationem. Nam etiamſi da-

retur

retur, reqvisitam fuisse ab Abrahamo solam voluntatem offerendi, non actum ultimum mactationis: tamen si oblatio per se injusta ac inhonesta fuisset, non potuisset ad eam saltē intendendam seu volendam DEUS obligare, qvippè qvi (ut docet Thomas 1.2.q.104.a.4.) contra consvetum qvidem virtutis modum, at non contra virtutem qvicqvam potest præcipere. Confirmationis loco hisce argumentis accedit, qvod maximè conveniens videatur, ut Numen immortale placetur, vitam hominis, pro vitâ hominis reddendo, qvemadmodum olim etiam Gallos pro *ἀνθρωποθυσία* ratiocinatos esse Cæsar de bell. Gall. l. 6. c. 4. docet: vel, qvia novimus neminem hominū innocentem, omnes autem legi obnoxios esse, atq; adeò neminem iratum Numen lenire posse, videtur saltem commodius fuisse, si adumbrassent Christi immolationem victimæ hominum, qvàm victimæ pecudum. Atqve hoc modo Jephthæ factum aliqvi ex Patribus exponunt, ut dicant, stupuisse eô tempore Israëlitas, neqve, ut par erat, oculos mentis ad Christum attulisse; Deum igitur voluisse excitare dormientes, ut, ad cogitandum de Christo, humanâ victimâ filiæ Jephthæ adducerentur: Confer Augustinum qvæstionum libro VII. super lib. Judicum qvæst. 49. operum tom. IV. p. 320.

§. 6. His præmissis, partem affirmantem neganti præferimus, pro cujus probatione sufficere possunt tres illæ rationes § præcedenti adductæ. Contrariæ autem sententiæ fundamenta nunc dirui debent. Ad primum respondetur, aversationem humanarum victimarum DEO non naturalem esse, sed liberam seu voluntariam. Nec plus verba è Devt. XII, 31. adducta probant. Nam, ut plurium locorum inductione constat, abominationi DEO esse dicuntur non tantùm, qvæ æternæ, ac immutabili, sed & qvæ positivæ legi repugnant: conf. Devt. XVII, 1. Lev. VII, 18. XIX, 7. Devt. VII, 25. &c. Ex accidenti tamen certâ ratione, DEUS necessariò execratur humanum sangvinem, qvatenus videlicet *ἐθελοθρησκείαν* naturali odio prosequitur. Connati enim luminis beneficio cognoscimus DEUM colendum esse illo solô modo, qvi ipsi placet, qviqve nobis partim per idem lumen, qvod cultum internum attinet, partim per revelationem externam innotescit; confer Max. Rev. Dn. D. Alb. Comp. J.N. part. 2. c. 1. §. 8. seqq Ad secundum observamus, qvod Augustinus l. c. Manichæis respondet: DEUM ne qvidem illa sacrificia delectâsse, ubi pecorum holocausta offerebantur, sed voluisse nobis commendare res ipsas, qvas sacrificia significabant, & qvarum qvædam

dam umbræ erant. Procul igitur abſit carnalis illa cogitatio, qvæ voluptatem qvandam è pecuino aut humano ſangvine Supremum Numen capere confingit. Si humanæ victimæ fuiſſent imperatæ, placuiſſet earum oblatio, non ex ſe, ſed propter rem ſignificatam, & propter fidem offerentium, vel etiam oblatorum. Ad tertii ſolutionem notandum eſt, puritatem, in beſtiis offerendis olim reqviſitam, fuiſſe externam corporis, qvæ potuit etiam in hominibus inveniri, utut qvà animam deterrimâ labe peccati inqvinatis. Prætereà in Sacrificiis, qvalia reapſe in V.T. fuêre præſcripta, (de his enim qvæſtio procedit,) duo attendenda ſunt: unum, qvod ad cultum divinum & hoc ſenſu ad legem pertinuerint; alterum, qvod fuerint typi Meſſiæ exhibendi & hoc reſpectu ritualia Evangelica. Qvatenus fuerunt pars divini cultus, eatenus perfectio non tàm rei offerendæ, qvàm offerentis animi exacta & præcepta fuit: Atqve ſic reſpectu primi finis ſacrificiorum nihil obſtabat, qvò minus homines ipſorum loco offerrentur. Qvatenus autem repræſentârunt agnum tollentem peccata mundi, eatenus, ut diximus, reqviſita fuit beſtiarum immolandarum integritas, ad accuratius adumbrandum ſacrificium expiatorium Salvatoris noſtri. Hoc reſpectu ſi humanis victimis qvidpiam decedit, alibi tamen id compenſatur, uti conſtat ex iis, qvæ ſub finem §.5. ex Auguſtino attulimus. Tertiò qvod immunditiem humanarum victimarum attinet, ea per fidem in meritum Chriſti tollitur non qvidem, qvamdiu in ſtatu viæ ſumus, ex toto, ut contrà Pontificios tenemus, ſed ex parte.

§. 7. Hucusqve affirmativam propoſitæ qvæſtionis defendimus. Qvod confirmationis loco de convenientiâ ſacrificiorum humanorum adductum eſt, non placet. Gallorum Veterum argumentum à Chriſtianis facilè ſolvitur. DEUM enim infinitè læſum non poſſunt neqve pecudum, neqve hominum ſacrificia propriâ virtute placare. Novimus eqvidem pro vitâ omnium hominum redditam eſſe vitam hominis, qvi in eâdem perſona ſimul DEUS fuit; verùm de iſto ſacrificio hîc loci non disqviritur. Qvod v. videtur magis congruum futurum fuiſſe, ſi hominis Chriſti immolationem adumbrâſſet aliorum hominum immolatio, infirmo itidem talo nititur, & ex adverſo plura & graviora ſunt, qvæ evincant, convenientius pecudes oblatas fuiſſe, qvàm homines. Nam primò, cùm finis ſacrificiorum alter ſalus hominum fuerit, qvatenus ea per Chriſti meritum, qvod victimæ adumbrârunt, obtineri debuit; hoc

pacto

pacto finem à materiâ distingvere divina sapientia voluit. Secundò Φιλανθρωπία Numinis seu peculiaris affectus amoris ergà homines hîc sese patefecit, qvi utut non obstitisset simpliciter, qvò minus jubere DEUS posset, ut homines in sacrificium sibi offerrentur, fortè tamen fuisset à qvibusdam in dubium vocatus, cùm vidissent humanum sangvinem in cultu divino fundendum esse.

§. 8. Huic controversiæ è pluribus, qvæ aliàs in præsenti materiâ moveri solent, potiores sex adjungemus à Joh. Maccovio antehâc (in Colleg. Theol. Prim. disp. ult.)pertractatas, cujus vestigia ita legemus, ut annotemus, qvæ is contra orthodoxa principia protulit. Initio qværitur: An possit DEUS peccatum non punire? Qvod rectè qvidem Maccovius nobiscum contra Socinianos negat, sed bonam causam nonsatis accuratè defendere videtur, qvando thesin probaturus ait, peccata esse respectu DEI, qvem offendunt merita, eumqve obligare ad sui recompensationem, ut adeò non possit non ea punire. Facilè enim Adversarii arripient illud, qvod Maccovius de merito mali loqvitur eo modo, qvô aliàs de merito boni loqvi solemus; & inde cavillandi ansam sument, qvoniam differentia aliqva inter utrumqve reperitur. Scilicet meritum in merente Jus ad poscendum æqvivalens suæ actionis indebitæ; in altero, cujus usui vel commodo actio merentis cessit, obligationem producit. Non eadem, sed qvasi inversa est ratio in merito mali. Hoc enim in læso jus puniendi vel malis afficiendi lædentem; in lædente obligationem ad ferendam pœnam seu reatum gignit. Qvis dixerit lædentem habere jus ad poscendam pœnam? ἄκυρον est locutio, notante Grotio l.2. c.20. §.2. Ita hinc inferre conabuntur adversarii, læsum non esse ad irrogandam pœnam propriè obligatum: eò qvod jus & obligatio se mutuò respiciant, ut si jus improprium sit, obligatio etiam, qvam jus in altero facit, propria esse neqveat. Longè felicius igitur assertionis nostræ fundamentum, à peccatorum abominatione, ἀποτομία vel severitate, constante voluntate, & justitiâ naturali vel essentiali DEI petimus. Horum enim consideratio nos eò deducit, ut agnoscamus, ne minimum qvidem peccatum, qvantulumcunqve illud sit, impunitum abire posse: qvod contrà Episcopium, ac reliqvos Sectæ Sociniano-Remonstranticæ autores observandum, qvi licet fateantur qvædam peccata talia esse, ut propter enormitatem suam sine læsione justitiæ & æqvitatis à DEO universi rectore remitti neqveant; tamen, qvod ad omnia & singula

gula peccata punienda per justitiam suam adigatur, nullo modo credunt, qvinimo illud in Dominium supremum DEI impingere asserunt, conf. Episcopium disp. VII. de Dominio DEI th. 13. tom. II. oper. part. II. p. 396.

§. 9. Vulgatam adversariorum objectionem, à conditione privatorum petitam, qvi de jure suo remittere possunt, imò per clementiæ leges debent, instantiâ qvâdam diluit. Si propterea, inqvit, qvia privatus remittere potest de suo jure in exigendis offensis, etiam DEUS dici debeat posse remittere de suo jure in iisdem condonandis: ergò pari ratione inferre mihi licebit, cùm homo qvilibet possit juri suo renunciare, qvod habet in servum suum & ipsum possit manumittere: DEUM etiam dici debere posse juri suo Dominii renunciare, qvod ipsi est in creaturas, atqve adeò posse creaturas rationales qvasi manumittere. In qvibus verbis benè innuit, qvod longè alia sit hominum conditio, qvàm DEI. Homines conservi sunt; DEUS autem supremus Dominus est, qvi qvando delicta punit, non se, ut pars offensa, sed ut Judex habet. Possumus autem præter hanc Maccovii responsionem, qvæ Majorem propositionem Syllogismi comparativi petit, etiam ad assumtum monere, qvod nec homini cuivis de jure suo remittere salvum sit, cujus & exempla & rationem vid. ap. Magn. Dn. Scherzerum Coll. Antis. disp. VI. p. IIX. p. 69. seqq. confer Turettinum de satisfactione Christi disp. II. & Theologos nostros in scriptis Socinianæ hæresi oppositis communiter.

§. 10. Qværitur secundò: an DEUS aliqvid remittat de suo jure, dum personas, qvæ peccârunt, non punit, sed eorum peccatum in alterum derivat, videlicet in Christum, & propter hæc ipsum punit? Ad hoc respondet Maccovius; peccatum impunitum relinqvere DEUS non vult, qvia injustum hoc est, at punire non in eô, qvi peccat, sed in alio, hoc justum est, qvia DEUS vult. Sentit negandam esse qvæstionem, ideò, qvod DEUS qvidem peccata necessariò puniat, liberè tamen vel in transgressore, vel in alio, qvi transgressoris loco spontè sese offerat. Hoc innuens asserit peccata in eo, qvi peccat, punire, non esse per se justum, sed per arbitrariam Voluntatis divinæ determinationem. Utitur enim vocabulo *justi*, qvatenus est paronymum Juris præceptivi; non qvatenus à Jure concessivo actum aliqvem denominat. Clarius ista patent, qvum ad justitiam divinam referuntut. Huic simpliciter contrarium est peccata impunita relinqvere: Pœnas verò vel à peccante,

vel à

vel à vade ſumere ſunt illius reſpectu actus indifferentes; Ille κατ' ἀνεξοδίκαιον, hic κατ' ἐπιείκειαν juſtus eſt, (conf. B. Balduinum in ep. ad Rom. c.V. part.I. q.V. p.100.) utrumqve tamen ſalva juſtitia DEUS indifferenter & liberè exercet. Poſteriorem dum reipſa exercuit, innocenti Chriſto pœnas noſtras imponendo Eſ.LIII.4., temperamentum juſtitiæ ac miſericordiæ invenit, ita, ut utriqve perfectiſſimè ſatisfieret, & neutri qvicqvam derogaretur, qvod aliàs in temperamento & mixtione phyſicâ evenire ſolet, unde & circa hujus termini uſum cautos eſſe in materiâ fidei Chriſtianæ decet. Cæterum qvo jure Chriſtum innocentem pro reis ſubſtituere potuerit DEUS? inferius qvæſtione ultimâ diſcutietur. Hîc iſto præſuppoſito qvæſitum eſt: an ſatisfactionem Chriſti accipiendo de vindicatrice juſtitiâ ſuâ qvidpiam remiſerit? Cui nos rotundè ex hactenus dictis reſpondemus: Nihil derogatũ eſſe iſto actu Severitati Divinæ, qvippè qvæ non neceſſariò ἀνεξοδίκαιον illud, qvod deſcripſimus, obſervat, ſed potius cum affectu gratiæ ac miſericordiæ jungi & copulari gaudet.

§. 11. Tertia qvæſtio eſt: an DEUS jure Dominii ſui homines non tantum infideles, ſed & fideles derelinquere poſſit? Huic reſpondet Maccovius affirmativè, & poſtmodum deducit, qvod hujusmodi derelictio non fiat propter peccata, qvoniam fideles nullo reatu teneantur Rom. VIII.1. nec eo fine, ut qvippiam cognoſcat, qvi omniſcius eſt, Joh. XXI.17. Sed ut ipſos ſcire faciat, qvid per ſe habeant in cordibus ſuis. Nos hîc ante omnia obſervamus longè diverſam eſſe derelictionem credentium à derelictione impiorum, ut ad qvæſtionem, qvæ utramqve conjungit, non poſſit ſine diſtinctione reſponderi. Fidelium derelictio, qvi cum Davide aliisqve Sanctis ſe à DEO deſertos eſſe conqveruntnr, tantùm apparenter talis eſt, & radiorum gratiæ divinæ potius occultatio, qvàm ſubtractio. Ita enim probare ipſorum fidem, & caſtigare ac emendare vitam DEUS ſolet; ut poſtmodum cautiores eſſe in vitandis peccatis incipiant, & Chriſto veræ viti tanqvam palmites altius inſerantur. Et hæc deſertio ad crucem divinitus immiſſam pertinet. Diverſa verò in cruce ac tribulatione piorum, qvæ Diabolum autorem habet, occurrit, eſtqve nihil aliud, qvàm permiſſio divina, qvâ DEUS credentem Diabolicis tentationibus impugnari ſinit, eas tamen ita moderatur, ut tandem in majus bonum tentati cedant, ejusqve virtus indies creſcat & augeatur. Derelictio Impiorum non eſt παιδευτικὴ vel δοκιμαστικὴ;

h.e. castigatoria & probatoria, sed τιμωρητικὴ h. e. vindicativa & pœnalis, qvâ DEUS justo judicio peccatorem, petulanter & voluntariè se prius deserentem, deserit, & gratiam suam ab ipso aufert; qvemadmodum ita desertionis initium ab hominibus fieri Scriptura docet 2.Par. XII.5. XV.5. Os. X.6. conf. Krom. Theol. pos. par. II. loc. V. aph. VI. §. 1. Et hæc est actus judicialis voluntatis divinæ consequentis, non autem dominii absoluti. E qvibus tandem constat, qvid ad qvæstionem à Maccovio propositam responderi debeat : videlicet DEUM infideles, se prius deserentes, justè deserere, veritatem evangelicam pertinaciter conculcantes gratiâ præveniente etiam & excitante destituere; credentes autem nec frustrari, nec, qvamdiu in voluntaria peccata non labuntur, gratiâ semel concessâ revera privare, sed in ipsorum salutem tentationum igni nonnunqvam subjicere, ut in eo probari & confortari possint.

§. 12. Evolvenda est qvarta qvæstio: an DEUS possit aliqvando id exigere, qvod impossibile est? Affirmativa Maccovio cum Nostratibus communis est, at explicatio utrinqve multùm differt. Orthodoxi, cùm hanc qvæstionem ventilant, distingvunt inter id, qvod impossibile est ex se seu absolutè, & qvod per accidens seu secundum qvid. Impossibile simpliciter tale, qvod nullo modo præstari potest, & contradictionem involvit, legibus ab imperante citra notam tyrannidis non præcipitur; At impossibile, qvod certo eventu tale fit, ex suppositione videlicet alicujus conditionis, justè nonnunqvam exigitur. Ita si Titius Sempronio prædium nobile donârit, eâ lege, ut definitam summam pecuniæ, cujus vel qvadruplum ex usu prædii ad Sempronium redundet, qvotannis solvat; acciderit autem Sempronii supinâ negligentiâ, ut prædium flammæ consumant, & ipsum ad extremam paupertatem redigant; non injustus erit Titius, si, non attendens jacturam Sempronii, pactam pecuniam postulare pergat. Hæc ad DEUM applicantes, dicimus, jure ipsum hodiè â nobis postulare, qvæ peccato corruptis post deperditam imaginem divinam servatu sunt impossibilia. Sufficit enim, qvod olim talia non fuerit, qvodqve initiò vires ad ea præstanda integras acceperimus. Maccovius verò DEUM utriusqve generis impossibilia præcipere posse existimat, dum declarat, se de tali impossibili loqvi, ad qvod nunqvam vires hominibus erogârit. In qvo qvidem & Augustino contradicit, qvi *DEUS*, inqvit (Serm. 6. de tempore) *nec imposſibile aliqvid potuit imperare, qvia justus est: nec damnaturus est hominem*

pro

pro eo, qvod non potuit evitare, qvia pius est: Et DEI Bonitati, Fidelitati ac Sinceritati summè derogat. Nam cùm conditionalis de conditione impossibili, ex vulgato Logicorum canone, universali negativæ æqvipolleat; qvid est, qvod DEUS cum hominibus paciscitur, præmia laboribus promittens, qvæ tamen nunqvam erogare aut tribuere constituit? Certè anathema Hieronymi tempore à Patribus Manichæos oppugnantibus hoc nomine Maccovio dictum est, teste Chemnitio LL. t. II. de legecap. IV.

§. 13. Videamus autem qvibus argumentis thesin suam fulciat Calvinista. Initiò producit exemplum Adami, cui DEUS dederit posse, ut vellet, non autem velle, qvod posset, & tamen hoc ab ipso fuisse reqvisitum. Sed respondemus: sophisticè hinc colligi, qvod DEUS obliget ad impossibilia. Jure meritoqve ab Adamo exigere poterat actum, cujus indiderat eliciendi perfectam facultatem. Per hanc enim formaliter in ipso productam, virtualiter simul facultatis exercitium concesit: Qvemadmodum qvi artificiosè scribendi potentiam largitur, eidem & artificiosus actus certo modô vendicandus est. Si verò arguas: non potuisse Adamum velle obedire, qvia hoc velle non acceperit; qvod enim qvis nunqvam accepit, id non dicitur posse? Resp. negatâ potentiâ rectè negatur actus; at vice versâ à negato actu ad negatam potentiam argumentari non licet. Et sic â negatione concesi actus, ad negationem conceſſæ potentiæ N.V.C. Cùm potiùs à conceſſo (imò divinitus, ac seriò præcepto) actu seqvatur omninò concesio ipsius potentiæ. Aliàs DEUS nec voluisset, nec jussisset ut homo in felici illo statu perseveraret, si ei potentiam τὸ velle & ipsius actûs perseverandi denegâsset. Actualis qvidem concesio potentiæ reqviritur, ut qvid dicamur posse; non autem actualis concesio actus.

§. 14. Alterum exemplum, qvo Maccovius doceat, à DEO nonnunqvam impossibilia præcipi, sumit à derelictione fidelium. *Illi*, inqvit, *derelicti non possunt non peccare, & tamen â derelictis reqviritur, ut non peccent.* Resp. Ex anteà dictis constat, qvalis sit derelictio fidelium, & qvod ea, uti non est πωωρωτικὴ, ita qvoqve non necessariò peccata inferat. Non erat autem, qvod ad ejusmodi desertionem & subtractionem gratiæ divinæ, qvæ frustrà fingitur, recurreret adversarius. Renati enim eo qvoqve tempore, qvô gratiâ Christi, consolatione vivificâ, & inde redundante svavitate abundantissimè fruuntur, peccant,

qvoniam nullus hominum, originali labe contaminatorum, legem perfectè implere valet. Sed huic objectioni §.12.satisfactum est, ubi diximus, qvod inde consequatur, DEUM præcipere impossibilia secundùm qvid, seu per accidens, non autem absolutè & per se talia. Præceptis enim & naturalibus & positivis, qvæ tum Adamo, tum posteris ejus dedit, servandis, vires integras Protoplastis & nobis simul omnibus concessit. Qvod autem eas propriâ culpâ ac voluntariâ trangressione amisimus, & ita impotentiam obtemperandi contraximus, id jam non obstat, qvò minus rectè legis impletio postuletur. Satisfieri etiam argumento huic potest illâ solutione, qvam Pontificiis Pelagianizantibus Brochmandus (Syst. Theol.part.I.art.X. c.2. q.13.p.150.) opponit, dum ait: Deum non eo nomine requirere ab homine jam lapso integram legis obedientiam, utpote impossibilem, ut homo in legis plenam perfectamqve obedientiam conatu irrito incumbat, sed ut, animadversâ impossibilitate implendæ legis, ad Christum confugiat, inqve ipso veram vitæ obtinendæ rationem consequatur & obtineat.

§. 15. Pergamas ad qvæstionem qvintam: an DEUS possit homines nullum ob peccatum gravissimè affligere? Id affirmat Maccovius exemplo fidelium allato, qvi cùm omnem culpam sibi remissam habeant, maximis tamen malis ac cruciatibus sæpè exponuntur. Qvod sententiam nostram attinet, supra ad qvæstionem Primam dictum est, qvod DEUS Adamum nullo peccato sese polluentem occidere neqviverit, propter pactum cum ipso initum & promissionem continuandæ felicitatis leges servaturo factam. Idem igitur fœdus nunc etiam videtur obstare, qvò minus cruciatibus innocentem exponere potuerit. Tentationes, si qvæ illic locum habuissent, absqve difficultate fuissent superatæ. De hominibus, ut peccato contaminatis, hîc sermo non est; qvoniam illi ob peccata sua affliguntur ac meritas pœnas luunt. De renatis autem & justificatis qvæstio intelligi potest, qvippe qvi, etiamsi qvotidiè multifariam (saltem non προαιρετικῶς seu voluntariè) peccent Prov.XXIV.16.semper tamen in gratiâ manent, dum ipsis peccata (qvæ suâ naturâ mortem aliàs merentur,) propter Christi mediatoris jugem intercessionem, ejusqve meriti in qvotidianâ pœnitentiâ fiducialem applicationem non imputantur, & hoc sensu venialia fiunt. Unde enim evenit, ut hi, cùm liberi sint ab omni reatu Rom. VIII. 1. gravissimè sæpius affligantur? Facilis est responsio ex doctrinâ de cruce & tribula-

bulatione Christianorum. Aliud est πμωρία vel pœna propriè dicta, qvæ ad culpam non remissam à judice irato cum intentione inferendi damnum infligitur; aliud παιδεία seu correctio paterna, qvâ DEUS mala infert propter peccata antegressa non ad ulciscendam offensam, sed ad ostendendam peccatorum abominationem, & ad erudiendum suos, ut in posterum ab istis summo studio caveant. Huc & δοκιμασία divina referenda est, qvâ DEUS Piis afflictionem immittit, ut edant suæ spei, fidei & patientiæ specimen ac exemplum. Ad utramqve bono animo subeundam ferendamqve obligantur potius propter anteà commissa crimina, (qvæ utut jam remissa sint, tamen longè gravioribus suppliciis expiari debuissent,) & propter finem, qvi ipsorum credentium salus est; qvàm ex DEI absoluto Dominio, cui per creationem subsunt. Sepositò enim pacto primævo DEUS citra injuriam Adamum occidere potuisset, qvem liberè creaverat, sed an affligere etiam temporaliter fas fuisset, non perindè omni dubio caret. Qvanqvam si absit delectatio ex alienâ miseriâ, qvam in DEO cogitare scelus est, bonitati Divinæ innocentem temporaliter castigare & affligere non manifestè repugnet; Maximè cùm ratio humana penetrare neqveat fines, qvos sibi propositos habere possit Supremum Numen.

§. 16. Supereſt ultima qvæstio: an DEUS alicui peccata alterius, etiamsi in ipsis non consensit, imputare, & propterea ipsum morte punire possit? Affirmat Maccovius; nos negamus. Anteqvam autem videamus, qvas ille rationes attulerit, altius paulò rem repetemus. Cogitari potest qvædam voluntaria substitutio, qvâ, qvi peccati reus non est, peccatum sibi imputari, & pœnas, qvas alter promeritus erat, infligi cupit. Circa hanc observandum, in foro humano non posse innocentem titulo vadis vitam suam pro reo spondere, nec licere rectoribus ac magistratibus civitatum ejusmodi sponsionem admittere; cujus ratio est, qvod homo non sit suæ vitæ Dominus, ita ut de illâ liberè disponere & statuere qveat, qvicqvid placitum fuerit. Aliter comparatum est in foro divino. Ibi enim Mediator infinitus vitæ suæ, qvam heroico & prorsus inimitabili exemplo pro peccatoribus perfectè redimendis ac Patri reconciliandis obtulit, absolutus Dominus fuit Joh. X, 18. Et DEUS unicus ac Supremus Judex hanc sponsionem ejus justè accipere potuit, ut sic pro nocentibus innocens, spontaneo motu se offerens, lueret.

§. 17. De hujusmodi substitutione voluntariâ (ex parte substituti,)

ti;) hîc loci Maccovius non qværit, ſed de actu, qvo aliena peccata à Superiore, jure Dominii ac poteſtatis eminentis, imputantur alteri, qvi nec in peccata, nec in imputationem unqvam conſenſit. Hujusmodi actus ab utroqve foro cum humano, tum divino removendus eſt. De humano clara res eſt. Nam, ut rectè Soto, Petrus de Arrogona, Bannes, Sayrus & alii cenſent, civitas non obtinet jus abſolutum vitæ & necis in cives, ſed potius vitæ ipſorum cuſtos, tutrix ac vindex eſt. Hinc pro lubitu de vitâ ſingulorum diſponere non poteſt, ſed ad leges Supremi Monarchæ, cujus ipſa vices in puniendis maleficis gerit, ſe conformare debet. De foro autem Divino difficilius judicari videtur, qvippè in qvo abſolutiſſimum Dominium ſe offert, qvale apud homines nullum inveniri poteſt. Attamen qvi conſiderat, DEI illud dominium cum ejus Bonitate & Sanctitate perfectè convenire, is facilè animadvertet hujusmodi imputationem, ſepoſitâ etiam omni conſideratione ullius pacti, ſimpliciter impoſſibilem eſſe. Sicuti enim malum paſſionis illi, qvi malum actionis non commiſit, infligi, Juſtitiæ Divinæ ſummè contrarium eſt, ſiqvidem ipſa ratio formalis pœnæ aliud ſecum fert, uti conſtat ex Grotio l. 2. c. 20. §. 1. Ita peccatum illi tribui, qvi peccati nec phyſica, nec moralis cauſa fuit, veritati infinitæ manifeſtè repugnat.

§. 18. Seqvamur autem Maccovii ductum, & diſcutiamus, qvæ ipſe ad propoſitam qvæſtionem attulit. *David peccat numerando populum, populus non conſenſit, nec enim conſenſus ejus reqvirebatur à Davide, & tamen DEUS imputat hoc peccatum, & multos ex populo morte plectit.* Reſp. I. Populus non caruit omni culpâ, qvando Rex intempeſtivâ numeratione peccavit. Tacendo enim conſenſit & ſe participem delicti reddidit, ſicuti olim ſubditi Ægyptii, cùm Pharao Abrahami uxorem inhoneſto propoſito detineret, non contradicendo, impietati ſocios ſe fecerunt, & unà cum rege puniri meriti ſunt, qvod innuit Philo, libro de Abrahamo (edit. lat. Baſil. Sigismund. Gelenii p. 236.) *Regis pœnam ſenſit & tota regia, cò qvod nemo ſe tantæ iniqvitati oppoſuerat, ſed uno conſenſu omnium tantùm non manus extrema ſceleri fuerat impoſita.* Nec obſtat, qvod conſenſus populi non reqviratur à rege abſoluto hoc vel illud faciente. Id enim fit, qvia ſummum imperium reſpectu hominum ἀνθρωπινον eſt, & rationes reddere ſubditis non tenetur; Similiter diſſenſus qvoqve parentium non impedit imperantis actus, qvippè qvi nec ſuperiorem nec parem in regno agnoſcit. Interim ſicut non ob-

ſtante

stante Principis ἀνδ Ιυνία, populus injusto onere pressus, jure meritoqve conqveritur, (qvia plurimum differunt irresistibilem esse & inaccusabilem;) Sic idem populus, ubi à magistratu graviter delinqvi & à consiliariis taceri videt, monere non tantùm potest, sed & debet. Aliud enim est prohibere facientem, vel etiam punire; aliud dehortari illicita meditantem. Illud subditis denegatur, qvia potestatem regio jure superiorem infert; Hoc ipsis ita competit, ut si secus faciant, ob peccata regum justè puniantur. Atqve sic objectioni Monarchomachorum, qvam hinc desumunt, satisfieri potest, qvod perperam neglexit Puffendorfius J.N. & G. l.VII. c. VI. §.6. p.951. II. Peculiari ratione populus peccato regis tenebatur, qvia propter ipsius antegressa delicta DEUS ad iram provocatus erat, ut justo judicio permitteret Satanæ, regem ipsum aggredi, eumqve ad gravius peccandum instigare, ut satis apertè constat ex 2.Sam.XXIV,1. III. Si maximè populus de peccato Davidis non participâsset, aliis tamen ctiminibus longè gravissimis jamdiu puniri meritus erat. Distulisset ergo supplicium pro suo arbitrio Supremus Judex, usqve dum Rex ipse peccato se commacularet. Objicit qvidem Maccovius huic responsioni, qvod eam refellat Scriptura, docens propter peccatum Davidicum Israelitas periisse, 2. Sam.XXIV, 13.17. Verùm accuratè distingvendum est inter punire morte & afficere morte. Nullibi scriptura asserit, propter peccatum Davidis populum fuisse punitum; Sed propter hoc peccatum pestilentiam in regno exortam esse docet. Rex, ubi dicit: Oves istæ qvid fecerunt? non omnimodè excusat populum ab omni peccato, sed potius miratur, qvomodo ipse prorsus impunè ferat, qvod patraverat, de qvo prolixius videatur Dn. Osiander in l. 2. c. 21. Grotii p. 1215. IV. Non prorsus rejiciendus est Grotius, qvi præter primam responsionem nostram, qvam in annot. in 2. Sam. XXIV. approbat, l.2. c.21. §.17. de Jure P & B. novam suppeditat, dum docet, DEUM Israëlitas ex absoluto jure, qvod in ipsorum vitam habebat, pestilentiâ confeciſſe, ut gravius regem affligeret; adeoqve hanc non fuisse pœnam populi, sed Davidis. Habet enim hæc observatio aliqvid utilitatis, qvum Divinæ Justitiæ objicitur, qvod nonnunqvam liberi occidantur ob peccata parentum, à qvibus tamen participare, usu rationis destituti, non potuerunt, salvis illis, qvi deliqverant. Scilicet ista occisio non tàm est pœna liberorum, qvàm parentum.

§. 19. Secundo loco Maccovius peccati Adamitici imputationem addu-

adducit ; *DEUS*, inqvit, *Adæ peccatum imputat omnibus ejus posteris ; qvos propter hoc imagine suâ, ad qvam hominem condiderat, privat, ob qvam privationem homo planè ineptus ad spiritualia percipienda, & insuper pravitate naturæ tanqvam justissimâ pœnâ plectit, ut tantummodo ad malum feratur omni die ; qvem per & propter Christum ex malo hoc non liberat, illum (ut infantes, qvi non sunt filii promissionis Rom. IX, 8. in infantiâ mortuos,) æternâ morte plectit.* Qvot verba, tot penè errores, qvibus tamen prolixè perstringendis non immorabimur. Qvod caput rei tangit, Peccatum primi hominis etiam posterorum proprium, non prorsus alienum est, qvod olim Julianus apud Augustinum contendebat, l. 1. contrà Jul. c. 2. l. 3. c. 22. l. 6. c. 4. & 9. In ipso enim tanqvam radice ac stirpe omnes legem divinam transgressi sumus, de qvo epistola ad Rom. V. 12. 14. 19. satis clarè testatur, & dudum Reformati Saniores contra Maccovium nobiscum convenerunt ; qvo nomine videantur libelli integri, de imputatione primi Adæ peccati conscripti ab Andreâ Riveto, Sam. Maresio, Ant. Garissolio, Carolo Daubuz & aliis. Imputatio igitur, qvâ peccatum primum dicitur esse nostrum, non excludit, sed potius præsupponit realem participationem culpæ : Et qvum Justitiam Christi, & injustitiam Adami eodem modo à nobis communicari Apostolus docet, non est illa collatio vel similitudo nimium & ultrà, qvàm decet, extendenda. Utrobiqve qvidem actionum effectus, tanqvam ad nos pertinentes, habentur ; sed illîc ex solâ benevolentiâ, qvum eos nobis aliàs jure vendicare non possimus ; hic ita, ut reverà autores simul extiterimus actionis, cujus reatus attribuitur. Et in hoc imputationis ex gratiâ, & ex debito differentia consistit, qvâ tamen non efficitur, ut ista, ceu Papistæ criminantur, phantastica aut imaginaria evadat ; de qvo confer Höpfn. de justif. disp. X. c. I. aph. 2. §. 22. p. 880. & Coccej. in Cat. Heidelb. qvæst. LXIV. p. 233. Modus verò participationis nostræ de peccato Adamítico, qvi certè arduus ac explicatu perdifficilis est, aliàs ventilabitur. Sunt, qvi mediam Scientiam DEI in auxilium advocant, & ex illâ æqvitatem imputationis deducunt. Non malè, sed hoc pacto non salvatur ex alterâ parte veritas actualis transgressionis. Vicissim communior sententia, qvæ voluntatem Adami interpretativè nostram fuisse statuit, etiam dubiis non carere videtur. Proindè fortè factu optimum fuerit, utramqve opinionem conjungere. Sed istis prolixè immorari alienum est.

§. 21.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372279015/44 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

§. 20. Illud hoc loco observari meretur, Arminianos qvidem Maccovium junctis viribus nobiscum oppugnare, sed non eundem oppugnandi modum seqvi, nec iisdem armis congredi. Fatentur cum Justitiâ Divinâ stare non posse peccati alieni imputationem, & in hoc cum Orthodoxis consentiunt: Verùm ad instantiam Maccovii, à peccato Adamitico desumtam, non respondent, ut à nobis factum est, negando, peccatum illud prorsus alienum esse posteris; Sed imputationis ipsius Veritatem inficiantur, & tanqvam erroneum rejiciunt id, qvod Orthodoxi asserunt: DEUM posteros Adami reverà censuisse ejusdem cum Adamo peccati & culpæ, qvam Adamus commiserat, reos: *in Apol.* f.84.seq. Qvemadmodum autem alienum à scopo nostro esset, istos Arminianorum errores prolixè refutare: ita nec *Josuæ Placei*, Professoris olim in Acad.Salmurienſi & Collegæ Mosis Amyraldi, sententiam, qvam in hâc controversiâ fovet, discutere nunc vacat. Is Arminianis Pelagianizantibus, qvantumcunqve verbis protestetur, qvàm proximus & simillimus, solam imputationem mediatam peccati Adamitici admittit, immediatam negat; h.e. sentit, mediante corruptione hæreditariâ, tanqvam causâ, ordine naturæ antecedente, peccatum primum actuale nobis omnibus à DEO imputari. Hancqve suam assertionem scripto de *Imputatione primi peccati Adami*, Salmurii Anno LV. edito, (cujus copia ab Amplissimo Domino *Stegero*, ex Bibliothecâ Beati Fratris *Dn. L. Stegeri*, facta est,) defendit, & in eo ostendere nititur, se cum Orthodoxis consentire, nec à Synodo nationali Carentonii ad Matronam celebratâ Anno 1644. rejectum esse. Verum ista, ut diximus, peculiarem curam & discussionem merentur, qvæ in aliud tempus rejicienda est.

§. 21. Reliqvos errores in anteà allegatis verbis Maccovianis sufficiat obiter annotâsse. Pravitatem naturæ humanæ post lapsum privationi imaginis Divinæ contradistingvit, & Deo sic adscribit, qvasi abillo positivè producta fuerit: id qvod in Summi Numinis Sanctitatem injurium est. Porrò cùm dicit DEUM illos homines, qvos ex hoc malo non liberet, æternâ morte plectere; absoluti decreti doctrinam propinat, utut fucum lectori facere conetur, adjectis voculis *per & propter Christum.* Deniqve nimis duriter de infantibus extrà ecclesiam natis pronunciat, adjudicans illos æternæ damnationi; qvos tamen longè rectius Nostrates judicio divino relinqvunt, & cæterum de ipsis qvoqve in tenella ætate decedentibus benè sperant, conf.Danhauer. myster.sect.II. a.3.p.364.

omninò Hodoſoph.fol.1001. edit. noviſſ. Meiſnerus Anthrop. D. I. Diſp. 7. q.5. th.18. p.215. Brochmandus art.XI.c.6.qv.16.

§. 22. Pergit Maccovius: *In ſpecie imputat aliqvando peccata parentum poſteris & propter hæc ipſos privat bono tali, ſine qvo ipſis in æternum pereundum eſt. Ita v.g. propter contemtum Judæorum verbi ſui, aufert verbum hoc ſuum à poſteris ipſorum in multas generationes Act. XIII. 46. Rom.XI. 15.16. At ablato verbo DEI fruſtrà ſalus expectanda, qvia qvi non crediderit, condemnabitur, ut docetur Matth. XXVIII.* Qvomodo fieri poſſit, ut propter Parentum flagitia liberis mala cum morte ipsâ infligantur ad gravius puniendum autores, §. 18. dictum eſt. Nunc obſervamus, nemini Majorum ſuorum peccata ſic imputari, ut propter ipſa pœnas luat, niſi de illis participet & ante tritis veſtigiis inſiſtat. Qvod vocatio gratioſa per verbum Judæis aut Gentilibus, à qvibus ſemel rejecta fuit, non iteratur; id propter voluntatem judicialem ſeu punitivam accidit, qvam DEUS hoc pacto in refractarios exeqvitur, docente B.Hülſem.de aux.Grat.c.1.th.XV.§.3.p.117. Utut autem in individuo hic vel iſte homo actu non rejeciſſe videatur media ſalutis; juſtè tamen novâ revelatione verbi privatur, qvia DEUS accuratiſſimè futuram infructuoſitatem & contemtum prævidet. Qvin & naturalium donorum ac reliqviarum imaginis Divinæ actualis abuſus beneficiorum iterandæ oblationis gentiles facit indignos. Obſervari inſuper merentur illa, qvæ laudatus Dn. Hülſemannus l. a. Th. IX. §. 17. p. 153. prolixè deduxit. Primò, qvod poſteri gentilium naſcantur cum defectu Evangelii, id non eſſe pœnam à DEO ipſis inflictam, ſed conditionem à parentibus *(malitiosè* ſcil. *contractam, adeoqve in iſto ſtatu naturali)* propagatam. Secundò longe diverſa eſſe: non affici parentum causâ ſupplicio poſitivo; & non affici parentum causâ novo beneficio.

§. 23. Colligit jam ex reſolutione qvæſtionis ſextæ Maccovius, DEUM vi abſoluti Dominii, qvod habet, poſſe hominem innocentem æternis cruciatibus affligere. *Atqve hinc*, ait, *jam judicare qvilibet poteſt, qvid ſentiendum ſit de illâ ſententiâ adverſariorum, qvâ volunt DEUM non poſſe ordinare qvenqvam ſine læſione juſtitiæ ſuæ ad interitum, absq; interveniente peccato tanqvam cauſa. Nam dicant qvæſo nobis, qvid majus ſit, imputare alicui culpam alterius & propter ipſam illum morte æternâ plectere, an verò ordinare ad interitum? Nemo ſanè negaverit, hoc prius eſſe qvid majus.* Reſp. Utrumqve horum æqvè abſurdè,

furdè, æqvè ineptè DEO tribuitur. Nec Bonitati aut Sanctitati Divinæ minus aut magis repugnat æternâ morte innocentem damnare, qvàm peccata aliena illi imputare, qvi nunqvam consensit in ea. Eodem enim res recidit, qvod contra Molinæum Curcellæus etiam tr. Gallico anteà allegato p. 71. demonstrat, qvando inter alia sic ait: *Y a-il tant de difference entre abysmer ses creatures en enfer pour son seul plaisir, sans avoir aucun esgard à leurs œuvres bonnes ou mauvaises; & les y envoyer pour le peché d' un autre, auqvel elles n'ont rien du tout contribué, qv'on puisse accuser le premier de cruauté & d' injustice, & qv'on n'en recognoisse point au dernier? Qvant à moy, il me semble, qve tout revient à un, & qve l' un n' est en aucune sorte plus doux, ny plus eqvitable, qve l' autre, &c.* Habent autem hanc Maccovii sententiam, qvam corollarii loco qvæstioni ultimæ subjunxit, cum ipso communem, præter qvosdam Scholasticos, omnes Reformatorum, qvi absolutum decretum Electionis ante lapsum constituunt. Neqve absurditatem effugiunt ex sublapsariis illi, qvi peccati respectum inter causas reprobationis ponunt, prætéritionem verò absolutè factam esse pronunciant; vel reprobationem decretam à reprobatione executioni datâ distingvunt: (de qvibus vid. Danhauer. Hodom. Calv. phant. II. §. 8. p. m. 105.) De his enim Curcellæus loc. all. p. 78. eleganter ait: *Ils font Dieu semblable à Tybere Empereur Romain, dont l' histoire ancienne rapporte, qve voulant faire mourir des filles vierges, pour ce qve les loix ne permettoient point, qv'on mist à mort aucune vierge, les fit premierement violer par le bourreau. Faciunt DEUM similem Tyberio Imperatori Romano, de qvo vetus historia refert, qvod occisurus virgines, cùm leges non permitterent, ut ulla virgo neci daretur, jusserit ipsas prius deflorari per carnificem.*

§. 22. Ultimò Maccovius argumentum solvit, qvod sibi ex sacris literis opponi posse videt. Nam cùm Gen. XVIII, 25. Abrahamus DEO dicit: *Absit à te, ut morte afficias justum cum impio, sitq; justus, sicut impius:* Qvid clarius est, qvam DEUM non posse per justitiam damnare innocentem ad cruciatus perennicremos? At respondet Maccovius, Abrahamum loqvi de Justitiâ vindicante, se verò de illâ justitiâ, qvæ in summâ & absolutâ DEI potestate sita sit. Scilicet hoc pacto attributa Divina sese mutuò tollunt, ut qvod uni simpliciter repugnet, alteri exactè congruat. Refutet imprudentem discipulum Magister apud Chamierum t. 2. l. 2. c. 3. n. 3. *Sorbonicum illud dogma detestor, qvod potentiam DEO absolu-*

absolutam affingit. Solis enim lucem à calore avellere, imò suum ab igne calorem facilius erit, quam DEI potentiam separare à Justitiâ. Facessant igitur procul à piis mentibus monstrosæ illæ speculationes, plus aliquid DEUM posse, quàm conveniat, vel eum sine modo & mtione agere. Qvod si Maccovii verba ita explicentur, qvasi voluerit: DEUM non posse eqvidem morte æternâ punire innocentem (qvod est opus Justitiæ vindicativæ,) posse tamen simpliciter æternùm affligere vi sui Dominii: negamus, Abrahamum de ejusmodi judiciali condemnatione seu pœnâ in loco allegato loqvi, cùm simpliciter vocabulo *occidendi* usus sit, pœnæ nullam fecerit mentionem. Deindè si ita sensit Maccovius, uti modò diximus, immeritò profectò attributa Divina sibi invicem opposuit, qvasi ideò inter ipsa qvædam pugna esset, qvod diversa objecta habeant, circa qvæ versentur. Hoc sensu enim qvæ juxtà misericordiam fierent, repugnarent justitiæ, & qvæ juxtà justitiam, misericordiæ, qvò nihil puerilius dici potest. Sine dubio autem Maccovius eandem cum Twisso opinionem fovit, qvi prolixè ostendere conatus est, DEUM qvædam posse per potentiam, qvæ, si ad justitiam referantur, fieri neqveant. Cui paradoxo & illi favent, qvi in Deo duplicem potentiam distingvunt, absolutè consideratam, & modificatè, qvatenus virtutibus limitatur, spectatam: inqve Juris seu Dominii Divini evolutione postmodum negant se determinare posse aut velle, qvid respectu absolutæ illius potentiæ DEUS facere qveat. Qvasi verò effrenis hujusmodi potentia in DEO actu detur vel saltem dari possit, qvæ nullum respectum ad reliqva attributa involvat. Certè eâdem ratione dicetur, DEI voluntati qvædam convenire, qvæ non item conveniant bonitati, qvod ipsum sine summo scelere ne qvidem cogitatur.

§. 25. Hactenus pro ingenii viriumqve modulo suscepti thematis tractationem diduximus. Tuum erit Ben. L. conatus nostros serenâ fronte accipere, & si qvid expectationi tuæ in gravissimâ materiâ, totius Theologiæ summas controversias attingente, non satisfecimus, veniâ dignos judicare. DEO verò, omnium rerum Supremo Moderatori, cujus Gratiæ acceptum ferimus, qvicqvid boni in medium attulimus, sit Laus & Gloria!

FINIS.

Coll. Sim. A 191,13

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id372279015/48 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG